Digitized by Google

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9. 7. 51

Digitized by Google

HORATII
LOGICA
AD USUM

STUDIOSÆ JUVENTUTIS

In Quæſtiones & Reſponſiones compendioſè diſtributa,

à J. P. DE CROSA,

Profeſſore Lauſannenſi.



LAUSANNÆ,

Sumpt. MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Sociorum.

MDCCXXXIX.

PREFATIO
DE
COMPENDIORUM
USU ET ABUSU.

PAULUM APOSTOLUM, ut Judæos atque Græcos ad Chriſtum adduceret, *Judæum* illis, *Græcum* (a) iſtis, ſe præbuiſſe ex ejus teſtimonio; notum eſt, id eſt utriuſque Gentis;pro data occaſione, quantùm quidem illæ ſâ virtute & veritate id fieri poterat, placitis, indoli, methodo, moribus, ſuam in docendo Me-

a. 1 Cor. IX. vs. 20. & ſeqq.

thodum, ſuoſque in convictu mores accommodaſſe. MEI, NON (b) SECUS, AC EGO SUM, CHRISTI ESTOTE IMITATORES, ejuſdem Apoſtoli ſententia & monitum eſt, latè patens; adeoque Philoſopho Chriſtiano haud licet quicquam intentatum omittere, quo Artes atque ſcientias, iis tenebris, ambagibus, inutilitatibus, ineptiis denique liberet, quibus obruuntur, non modò in ſummum dedecus litteras profitentium, quorum quam-plurimi meritò ridentur, ſed in opprobrium ipſius Generis humani, cujus ſupinâ negligentiâ RATIO, quâ à Brutis unicè diſtinguitur, & inculta jacet & ab illis ipſis, quibus ejus perficiendæ cura potiſſimum demandata eſt, potiſſimum quoque proculcatur atq; peſſundatur.

Talia ſæpe reputanti, meæque & aliorum RATIONI excolendæ

b. 1 Cor. X. vs. 33. 34.

& perficiendæ intento, mediiſque ad talem finem conſequendum idoneis, detegendis, inculcandis, ſequendis, indeſinenter ſeriò incumbenti, ſignificatum eſt COMPENDIUM LOGICÆ placiturum eſſe, optari, Lectoreſque habiturum fore. Id verò monitus, ut quàm grata mente conſilia mihi data audirem & acciperem, Viris Graviſſimis teſtatum facerem; COMPENDIO, quod à me requirebatur adornando, continuò animum adjeci. Ne verò obſequii mei facilitate iis ipſis nocerem, quorum utilitatibus inſervire & commoda promovere mihi maxime in votis eſt, De COMPENDIORUM USU ET ABUSU quædam præmittere neceſſarium viſum eſt, & de ratione mei officii duxi. Pauca dicam, ſed, uti quidem exiſtimo prorſus *Eſſentialia*.

Compendium nondum explica-

tum, nondum accuratè intellectum, & mente perceptum, memoriæ imprimere, ut olim fieri ſolebat, & adhucdum in quibuſdam locis uſurpatur, ego nihil propemodum novi, quod ſit juventuti perniciofius.

Tali quippe Methodo educati Adoleſcentes habitum, juvenilibus annis, contrahunt, per reliquum vitæ ſeſe diffundentem, vi cujus cum obſcuritate familiaritatem contrahunt, & ſubinde acquieſcunt vocibus, aut nihil aut parum admodum ſignificantibus, quò fit ut ex Principiis, Hypotheſibus, Theorematibus, non niſi imperfectè à ſe intellectis, conſequentias deducentes, in errorem frequenter incidant, nec raró inter ſe pugnantia ponant; cujus culpæ rei *Viri Litterati* haud pauci facilè citari poſſent.

Prætereà dum Adoleſcentium Memoria, hac ratione, ſola exer-

cetur, eorum Intellectus jacet incultus, atque, culturæ defectu, torpet, hebeſcit, nihil poteſt, nihil à ſe promit, indeque fit ut ſuccedente tempore, de Memoria ornanda unicè ſoliciti, ſibi plaudant, atque de ſe magnificè ſentiant, ſi hinc & inde corradere poſſint, quod, ſi non recitent, legant ſaltem, & volubilitate linguæ ſibimet fucum facientes, præclari & admirabiles ſibi videntur, tunc cùm pluribus verbis nihil dicunt, aut inanes efferunt inutilitates.

Quæ familiaria evaſerunt eadem vera reputari, Logicæ eſt Obſervatio, una ex veriſſimis & utiliſſimis. Quoniam igitur Primas Notiones, Concluſiones item ſæpius demonſtratas mente facilè luſtramus, evenit ut quæcunque ita familiaria facta ſunt, ea vel Notionibus Communibus, vel Concluſionibus accuratè demonſtratis accenſeantur;

ab incautis, nec ſatis circonſpectè procedentibus, ab iis deniquè qui, ab ineunte ſtudiorum initiô, aſſiduô Veræ & Puræ Logicæ uſu, Clarum à Familiari ſecernere non didicerunt, aliqua ex parte affinia tanquam omni reſpectu ſimilia, cum vulgo & fæce hominum reputare proni.

Obſervationibus atque experientiâ, unius aut alterius anni, compertum habeo, quàm ſit noxius ille, quem improbo & publicè enarro, COMPENDIORUM ABUSUS. In *Scholis* quippe, LAUSANNENSIS ACADEMIÆ, inferioribus, memoriæ mandabant atque Ludi Magiſtris ſuis recitabant Adoleſcentes Logicæ, ut fit, Compendium. His vero, ad Auditoria Superiora promotis, dum Logicam ſeriò inſtillare aggrederer, fruſtra eram, ſurdiſque narrabam fabulas. Ipſa Compendii Verba ſi iterarem, ea, utpote ſibi ſatis familiaria,

adeoque ſufficienter cognita, nulla attentione dignabantur. Eandem, quæ talibus verbis continebatur, Sententiam aliis, diverſoque phraſium ambitu, ſi tentarem exponere, novitate rei turbabantur, ſtilumque, cui non erant aſſueti, ſuæ capacitati non ſatis attemperatum ſuſpicabantur, adeoque, ad ejus vim aſſequendam, inutiliter attentionem ſuam fatigare verebantur. Ad Logicæ Præcepta illuſtranda, eorumquè utilitatem demonſtrandam, ſi exempla ſeligerem, quæ eſſent alicujus momenti, ab illis Præceptis, à me illuſtrandis, nimiùm recedere videbar, nec me, exempla ejuſmodi deducentem & enarrantem, erroreſquè varios hominum, errorumquè cauſas, tali occaſione, aperientem, Intellectus eorum culturâ expers ſequi poterat. Auditores attentos, & aliquos fructus ex meis Commentationibus à ſe colligi poſſe

perſuaſos, tunc demùm habebam, ſi exemplis, ipſa ſua ſimplicitate inutilibus, Regulas applicarem.

Mihi in illo munere præceſſerat Doctor, qui viam tritam ſequutus fuerat, & ab ea, quam aperire conabar, ferè toto cælo diverſam. Quamobrem, Menſium numerô paucorum Inſtitutiones, mihi ſatis fuerunt, ut luce meridiana clariùs cernerem, Artem Compendiorum exponendorum & commendandorum, ni funditus mutaretur, Artem eſſe emungendæ pecuniæ, Imperitorumquè Parentum, ſimul cum miſeris & innocentibus Liberis, ludificandorum.

Hanc meam Mentem cùm Collegis meis aperuiſſem eamquè novo argumento, ab experientiâ ducto, confirmaſſem, facilè ab iis, Viris Doctis & acutè cernentibus, obtinui, ut inutili imò importuno onere, Scholaſtica Juventus liberaretur, nec deinceps in manus

meas Pſittaci Logici traderentur, in homines ratione valentes tranſmutandi. Inde verò res mihi ex voto fluxit, imò ſpem ſucceſſus longè ſuperavit. Interrogationibus quippe, ſive potius familiaribus Colloquiis, Auditorum meorum Mentes ſolicitando, huc facilè perveni, ut Mentibus ſuis inſculpta Logicæ Principia ipſi legerent, & ex illis Principiis, veluti ſecum natis & ſubitò effloreſcentibus, atquè à capſulis ſuis tenebroſis, in lucem prodeuntibus, conſequentias iterum ipſi deducerent, a quibus ordine ad Obſervationes & Regulas Logicæ pervenirent. Has igitur, ſtatim atquè ſeſe ſiſtebant, amanter amplectentes tanquàm ingenii ſui fœtus, laudatas, ſibique, earum Auctoribus, tales Regulas commendatas ſupra modum læti audiebant, & tantùm aberat ut exemplorum quibus à me applicabantur, nec multitudine nec com-

poſitione fatigarentur, quin e contra argumentorum, quibus Regularum, ſibi ſummè dilectarum, meritum illuſtrabatur, copiam creſcentem gratiſſima mente cernebant & excipiebant.

Hac arte mihi parabam diſcipulos quorum, poſt paucos annos interjectos, colloquiis non modò recrearer, excitarer, ſed ipſe quoquè identidem erudirer. Quâ etenim de cauſa, ſibi tradita Præcepta, imò ab ipſis ex parte inventa & excogitata, adeoque dilecta, probata, & utilitatibus variis commendata, e Memoria ſua elabi ſinerent; quod ſi quando eveniret, uti non eſt Memoriæ Facultas ſemper tenaciſſima, Principia ipſi tenentes numero pauca, Unde ordine Regulæ deductæ fuiſſent, & Artem edocti uſuque familiarem ſibi redditam, Animorum obſtetricem, Conſequentiarumque ex Principiis ſuis deducendarum; quæ elapſa eſſent

iterum quærentes, ea revocare & rurſus ſibi præſentia ſiſtere facilè poterant.

Dices ERUDITE LECTOR, *Quandoquidem talibus, & tali Methodo edoctis, Compendia ſupervacanea ſint, hanc ſi probat Methodum, cur Compendia ſcribis?* Habeas igitur quæ, meâ quidem ſententiâ ſit utilitas Compendiorum. Caput Compendioſè ſcriptum legens, monetur, quot & quibus rebus inveſtigandis, inculcandis, & pleniùs cognoſcendis animum adjicere debeat. Earum accuratè tenendarum cupiditate tactus, &, ſi Indole valeat, etiam inflammatus, lubentius arripit Librum, in quo eadem prolixiùs expoſita deprehendere poſſit, huic diligentiùs attendit, cùm obſcurè & veluti è longinquo conſpexit ſcopum, quò vocatur, & quò tendere debet.

Attenta Compendii Lectio prima præparatio eſt, quâ Diſcipulus

ad Profeſſoris explicationes cum fructu accipiendas, diſponitur. Operis deinde, ubi Compendioſè indicata fuſiùs declarantur, attenta iterum Lectio, altera præparatio eſt, non minoris quàm prima utilitatis. Quemadmodum Terra, ipſo Agricolæ labore ſubacta & comminuta, altiùs ſemina recipit, & arctiùs amplexa fovet; ſic Mens Juvenis, lectione attentâ explicandorum, ſeſe ipſa Præceptis inveſtigandis aperit, atque obſervationes addendas, & exempla adjungenda, proniore animo accipit.

Ex Collegio egreſſis, ut explicatos Articulos, quales in prolixiore Syſthemate ponuntur, ornantur, demonſtrantur, attentè relegant auctor omninò ſum, ſingulorum occaſione obſervationes adjunctas in animum revocantes. Sic demum, atquè ejuſmodi repetitionibus iteratis, prorſus familiaria ſibi reddent, ea, quorum uſus nullus

percipitur, niſi à quo tempore in naturam ipſam veluti converſa ſunt.

Quæ omnia poſtquàm diligenter fecerint, Quæ familiaria jam ſibi evaſerunt; ut ea uno quaſi obtutu luſtrent; diſcantquè multa, ad Capita numero pauca, revocare, Species ſub Generibus ſuis collocare, Conſequentias intra Principia, unde fluxerunt, rurſus condere, inde faciliùs poſt modùm deducendas, in eo labore, Compendii uſu juvabuntur.

Non igitur Præceptorem Diſcipulum iuterrogantem, nec Diſcipulum à Præceptore reſponſa quærentem, ſequentes paginæ ſiſtent. Etenim nequè decet à Juvene, Logicæ cognoſcendæ cupido, non ſecus à Pſittaco, verba memoriter recitanda exigere, neque mihi in mentem venit, ſupponere Profeſſorem adeò imprudentem, ut Logicæ imperitum, ſuis Quæſtioni-

bus illicò ſatisfacturum ſperet, multò minus hunc ſuppono Diſcipulum qui, ordine à me expoſito, quæ ſibi deſunt à Doctore quærat. Colloquia ejuſmodi, inter Magiſtros atquè Tyrones collocanda eſſent inter *Entia rationis*. Quamobrem qui hìc interrogat, idem eſt cum eo qui reponit. Qui nempe prolixiùs lecta, & fuſiùs iterùm explicata, ad ſumma Capita revocare quærit, ille Quæſtionibus ſuam ſolicitat induſtriam atquè Memoriam.

Id verò facit ſingulariter in Capite de Sermone, ubi per Primam Logicæ Partem univerſam diſperſa colligit, ſub eodemquè titulo reducit, ut ſeſe tantò magis in recapitulationibus texendis exerceat. Inter Ideas, atquè idearum Signa, nexum, qui intercedit, arctiſſimum minimè ille mirabitur, qui attendet Idearum excitanda-

rum

rum, augendarum, atquè ornandarum, quæ in Mentium infantilium receſſibus deliteſcebat, facultatem, ſermonibus demùm in lucem atque in actus adductam fuiſſe, quæ eximia Facultas, talis cultura ſi abfuiſſet, jacuiſſet iners, Menſquè humana ſibi relicta, quamvis immenſùm brutis animantibus ſuperior, vitam nihilominus pecuinam traduxiſſet, ſolis indulgens ſenſationibus.

His de cauſis de Sermone perficiendo Logicus ſolicitus eſt, eum quidem in finem, ut ipſi Veri Compos, cæteros ejuſdem participes commodiùs præſtet, ſed præterea directè & immediatè cernit, vix unquàm Menti occurrere Ideam, quin ſimul nominis, eam ſignantis, veſtigium, aliqua ſaltem ex parte, in cerebro renovetur, quo fit ut tarda ſigna ægrè naſcentes notiones, nitida nitidæ, imperfecta imperfectæ, evoluta evolutæ Ideæ ſequantur.

Hæc non modò cernit oculatus Logicus, ſed præterea obſervat imperfectos conceptus ſuos, quos tamen accuratos putabant, ſermone frequenter homines enunciaviſſe inaccurato, qui apud ſuos auctores erroris fœtus, apud alios errandi cauſa, ut ſæpè fuit, ita etiam foret, niſi emendaretur, & conceptibus limatioribus ſermo adhiberetur qui reſponderet.

Quæ omnia quantumvis vera agnoſcam, & obſervatu momentoſa admodùm reputem, errare tamen mihi videretur, qui Logicæ Partem Singularem aſſignaret Regulis Sermonem emendandis & perficiendis. Cùm enim quæ Principia accuratè percepta, & animo altè infixa, Ideis perficiendis conducunt, eadem Sermoni, quô cogitata enuntiantur, inveniendo & dijudicando apprimè inſerviant, ex eodem fonte Regulas fluentes, junctim traditas, videre & commodius longè & utilius & ſuaviu

eſt, quàm eaſdem quærere in ſedibus diverſis poſitas. Talis quippe diſtributio rerum affinium, in ſedes à ſe invicem remotas, repetitionibus dat locum frequentiſſimis, quæ, cùm in ſe tædioſæ ſint, attentionem retundunt & animum alienant.

His inductus motivis, quo ordine, de Perceptionibus ipſis, eodem de Perceptionum Signis egi, Regulaſquè, Cogitationum nomina emendantes, Regulis cogitationes ipſas dirigentibus ſtatim attexui atquè ſubjunxi. Sed ſemel perceptas, & in locis ſibi maximè convenientibus poſitas, Regulas diverſas colligere, & propter tituli affinitatem intra unum Caput contentas luſtrare, non injucundum Lectoribus meis futurum ſperavi, quos de ratione Finis mihi propoſiti, Operiſquè à me recenter editi, ſufficienter, ut puto, monitos ulteriùs præfari deſino.

Et quandoquidem adoleſcentes atque etiam adulti, ex Libris, quos legunt, & ſermonibus, quos audiunt, vix ullos fructus percipere poſſint tantæ utilitatis, atquè eſt confirmatio Habituum, quibus Ratio excolitur, viribuſque creſcit, operæ certè pretium mihi viſus ſum facturus, ſi, ut meô quaſi exemplô, præirem, in ſententiis obſervandis colligendis, & avidè excerpendis, quarum admiratione, atque amore tanquàm convenientiſſimas alimentis, Robur Mentis creſceret; eum in finem Carmina, numero plurima, ex Horatio ſelecta, ceu in gratiam Logicæ ornandæ conſcripta fuiſſent, in ſedes quantum potui, ſibi convenientiſſimas, revocata diſpoſui; memor tali ſtudio, Logicarum mearum Lectoribus rem non inutilem nec injucandam hucuſquè feciſſe.

PARS

LOGICÆ
PARS PRIMA,
QUÆ EST
DE PERCEPTIONE SIMPLICI.

CAPUT PRIMUM.

Logicæ Proœmium continens, definitionem, *ſcil.* utilitatem, diſtributionem.

Q. QUID tibi ſignificat vox illa *Logica?* 2.

R. Græcis *Logica* ſcil. *Ars* (λογικὴ ſeu τεχνὴ) ars erat & diſciplina, rationem dirigens. Logicæ definitio.

Digitized by Google

2. Q. Sed an directrice, rationi opus eſſe putas, cujus eſt potiùs omnia dirigere?

Rationis definitio. R. Vox illa iterùm patitur varias acceptiones, quarum omiſsâ enumeratione, ſatis erit notaſſe, mihi nunc hoc nomine venire, *facultatem veri à falſo diſcriminandi.*

3. Q. Ei putas opus eſſe regulis & directice?

Logicæ neceſſitas R. Omninò, nam ut facultate canendi donatus, non continuò, nec ſemper ſuaviſſimè canit, neque etiam veri à falſo ſecernendi, quæ nobis ineſt facultas, ſcopum ſuum ſemper aſſequitur, nimium frequenter contra declinat ab eo.

4. Q. Et regulas tales dari exiſtimas, aut ſaltem excogitari & ſtatui poſſe, ad quarum normam ſeſe componens, mens à vero recederet nunquam?

Logicæ exiſtentia R. Haud dubiè, nam quidquid rectè & ſecùs fieri poteſt, ejus rectè faciendi regulæ ſunt.

5. Objectio. Q. Erunt qui verum à falſo ſecerni dicent, vi quâdam naturali atque ingenitâ ſolertiâ, etiam ab eo qui de regulis nihil audiverit?

R. Id minimè negaverim; neque enim

enim regulæ de quibus diſputatio nunc eſt, unquam inveniri potuiſſent, ni abſque regularum adminiculo, veri inveniendi vis nobis ineſſet; adeoque diſtinguunt inter *Logicam* ſive vim *naturalem*, quæ regulis ſuperior, hoc quamvis deſtituta adjumento, ſola ingenii felicitate, verum aſſequitur, & *artificialem*, quæ præceptis & obſervationibus, veri ſtudioſum munit atque roborat. Quod etſi magnis ingeniis præditi quidam dicendi copiam conſequuntur, Ars tamen eſt dux certior quàm Natura.

Q. Quibus præſertim abſolvi putas dotibus, illam quaſi *Logicam naturalem?* 6.

R. Vis illa quæ præceptorum vicem ſupplet, poſita mihi videtur, in ſincero veritatis amore, mentis ſerenitate, attentione, habitu non aſſentiendi niſi perceptis. Qui enim veritatem amat, quærit, & magnifacit præ omnibus; qui perturbationum æſtu, non huc & illuc rapitur, & à vero retrahitur, qui per gravitatem & ſtuporem ingenii hebetis non impeditur quominùs defixè attendere poſſit, nec per ſocordiam,

Logica naturalis in quibus.

inertiam aut levitatem, inconſtantiamque, quominùs attendere velit; hic perceptiones claras, & plenas facilè excitabit plurimas, quibus ſi ſolis acquieſcat, ab errore ſe tutum præſtabit: Hæc ſunt, meâ quidem ſententiâ, Logicæ naturalis capita præcipua, ſive indolis illius, quæ præceptorum vicem ſupplet, partes potiſſimæ.

4. Q. At verò quid ei deeſſe dicemus, cui omnia hæc aderunt, à te nunc enumerata, ſive quid erit, in quo, ab eâ, quam vocas *Logicam artificialem*, adjuvari poſſit?

Perficitur ab artificiali.

R. Scis naturam perfici ab arte, cujus parens eſt; nec cuivis inſunt eximiæ illæ, quas merito maximi facis, præclariſſimæ dotes, nec qui iis ornati vivunt, eodem in gradu eas poſſident; roborantur ergò, & excoluntur, præceptorum contemplatione & uſu.

Cujus enumerantur utilitates.

Q. Dicis aliquid, ſed vellem ut artificialis Logicæ utilitates, pleniùs & diſtinctiùs mihi aperires.

R. 1. Leges, ad quas mens noſtra ſuas exigere debet cogitationes, quaſque rectè cogitantes, natura duce ſequun-

quuntur, contemplari, diſtinguere, demonſtrare, præclarum ducere deberemus, ſi vel nullus inde, in cæteras noſtras cogitationes fructus dimanaret. 2. Ubicunque duo pluresve de veritate alicujus ſententiæ ambigunt, conveniat inter ipſos oportet, de aliquo principio, ad quod ratiocinium controverſiarum exigant; adeoque talia principia, *ex Logica artificiali* deprompta, & demonſtrata, in promptu habere, ad controverſias dirimendas utiliſſimum eſt, & non modò ad controverſias dirimendas, ſed 3. & ad tollendam & eliminandam dubitationem proficua ſunt; conſtantiore enim longè ſecuritate fruetur, qui ad omnes regulas, verum à falſo diſcriminantes, cogitationes ſuas exegerit, & ſentiet exactas fuiſſe, quàm ſi felicitati, cujus cauſæ ipſum lateant, veri contemplationem unicè debeat. Atque ut illis præceptis munitus ſecuriùs acquieſcet inventis concluſionibus, ſic faciliùs, 4. demonſtrationes, quibus eas fulciet, excogitabit; illæ enim regulæ mentem velut fœcundant, feraciorem reddunt, & vivaciorem. Neque hic ſubſiſtet utilitas, nam, 5. cùm

non nobis ſolis nati ſimus, nec omnes, ſatis aptè, quæ cogitarunt, declarare valeant, regulæ ſtatuendæ fuerunt, quibus obſequentes, cogitationes noſtras cæteris faciliùs impertiremur, & 6. quia non modo propria meditatione proficimus, ſed inſtitutionibus aliorum juvamur, qui iterùm nec ſatis nitidè, quæ ſentiunt, deſignant, nec ſemper ea, quæ veritati conſentanea ſunt, propugnant, regulæ iterum proponendæ fuerunt, quæ viam nobis ad Auctorum intelligentiam, atque examen munirent.

Logicæ definitio plenior.

Q. Logicæ officia atque munera deſcripſiſti, quæ in unum colligens, pleniorem Logicæ definitionem adornare poſſes?

R. Collectio igitur erit, ad uſum commoda, obſervationum, ad quarum normam, mens humana cogitationes ſuas excitans, flectens, & promovens, veritatem promptiùs aſſequitur, aſſecutam diſtinctiùs exponit, aut ab aliis propoſitam accuratiùs expendit.

Logicæ definitio.

Q. Sequitur, ut ſummatim exponas, quo ſit ordine tractanda?

R. Quandoquidem, quas ſumus traditur,

dituri, obſervationes, mentis verum inquirentis actus, hoc eſt, cogitationes, dirigant, evidens eſt, pro diverſitate cogitationum, diverſa quoque, quibus dirigantur, præcepta tradi debere, adeoque eandem fore primam, & maximè univerſalem diſtributionem Logicæ, quæ cogitationum in genere, quas omnes ad quatuor Claſſes revocari exiſtimo, & ante me plurimi cenſuerunt. Mens enim (quod omnes & ſinguli, propriâ atque intimâ conſcientiâ, ſi velint ſibi attendere doceri poſſunt) 1. percipit, ſive rerum ideas apprehendit, breviter, (quidquid ſint ideæ) perceptionibus quibuſdam afficitur, quarum conſcia, res ipſas cognoſcere & intueri ſibi videtur. Rerum ſimplicem apprehenſionem.

Idearum, quæ rerum extra nos poſitarum velut imagines ſunt, in mente præſentiam, ſive ſimplicium perceptionum conſcientiam, ſequitur Collatio earum, quâ mens perceptiones ſuas comparans, conjunctas fatetur, per affirmationem, aut oppoſitas agnoſcit, per negationem, quod agens *ſecundò judicans* dicitur.

Judicia deinde judiciis nectens, judicia cum judiciis componens, vel eadem ſibi invicem opponens, varias inde elicit affirmationes vel negationes, idque *tertiò* vocamus *Ratiocinari.*

Poſtquam eâ, quam indicavimus, & quam in decurſu ſedulò exponemus viâ, plurimas concluſiones, ex principiis ſibi notis, mens noſtra deduxit, aptiſſimo ordine eas diſponens, quæſtionem tandem totam, elucidatam ob oculos ponit; quæ operoſior mentis agitatio, cæteras tres ſupponens & comprehendens, vulgari quidem ſermone *Ratiocinium*, ſed diſtinguendi, & docendi gratiâ, METHODUS à Logicis appellari meretur.

CAPUT II.

Perceptionem ſimplicem in genere exponens, & primæ partis diſtributionem complectens.

1\. Q. QUâ ratione tibi notum fiet, quid ſit perceptio?

Perceptionis definitio. R. Mihi attendendo deprehendam, ſentiam, certus fiam, perceptionem quid

quid eſſe, quod ſui conſcium eſt, eô ipſô quod eſt.

Q. Et quomodo perceptionum differentias deteges? 2.

R. Eadem viâ, eâdemque ratione, nam iis, quæ intra me aguntur, attendens, actus illos, quorum conſcius ſum, quique ſui conſcii ſunt; nonnunquam tales deprehendam, ut præter ſe ipſos nihil notificent, v. g. ea perceptio quæ *doloris* nomine venit, quid ſit dolor, mihi, ſibique declarat. Nonnunquam verò tales ſunt perceptiones actuſque ſui conſcii, ut præter ſe, aliquid à ſe diverſum notificent, v. g. Cogitans de triangulo, non modo conſcius ſum certi cujuſdam ſtatûs, in quô ſe habet cogitatio mea, ſed ope illius ſtatûs, ope illius cogitandi modi, ope illius actûs, ſui conſcii, quid ſit triangulus cognoſco, in notitiam venio rei, quæ cum cogitatione meâ non eſt unum quid; Illæ *ſenſationes*, iſtæ *Ideæ*, diſtinctionis causâ, commodè appellari poſſunt.

Q. Quomodo certus eris, rem tibi à perceptione tuâ notificari, quæ ſit ab illâ perceptione, quam vocas *Ideam*, diverſa? 3. Characteres Idearum.

 R. I.

R. 1. Res illa intelligenda eſt, exiſtens talis, qualis à perceptione exhibetur, etſi minimè concipiatur ſui conſcia, nec quicquam continere quod ſui ſit Conſcium; Intelligo v. g. exiſtere poſſe lineam, cujus puncta ſingula, paribus intervallis, à medio diſtent, quæ linea, *nec* ſui ſit conſcia, nec quicquam contineat ſui conſcium, adeoque duo ſunt planè diverſa, perceptio Circuli, & Circulus ipſe; At calor, quatenus hác voce denotatur ſenſatio, aut quid ſimile ſenſuationi, intelligi non poteſt, nec ſupponi in aquâ manum meam circumdante, niſi illa aqua ſupponatur ſui conſcia, aut intra eam quid ſui conſcium.

Obſervandum 2. perceptiones quarum ope, res intelligimus à nobis diverſas, in noſtrâ eſſe poteſtate, longè magis, iis, quæ ſunt ſui meré Conſciæ, merè ſui notificatrices; eas adeoque facilè ſermone declarari poſſe; dum nullis vocibus dolorem, v.g. aut lætitiam meam alteri, valeo ſignificare, ut qualis, & quanta ſit intelligat, non enim occaſione ſermonis mei, dolorem, lætitiamve intrà ſe excita-

excitare poteſt, quæ adæquet præciſè meam.

Q. Idearum diverſitatem unde deduces? 4.

R. Omnis Idearum diverſitas oriatur neceſſe eſt, vel à facultatum cogitantium diverſitate, vel ab objectorum varietate, vel ex diverſis modis, quibus facultas objecta ſua contemplatur; nam quæ ad idearum procreationem conferunt, ea ſola in ideas diverſitatem inducunt, quæ tria omninò ſunt, *Facultas*, *Objectum*, & *Modus* quô de objecto cogitat, etenim cum percipimus eſt aliquid cogitans & percipiens, & id vocatur facultas, eſt res de quâ cogitamus, quæ dicitur objectum, & de illâ re facultas cogitans, certô quodam modo cogitat. Idearum diſtributio primaria.

Q. Facultates ipſas quot diſtinguis? 5.

R. Inſunt nobis facultates *percipientes*, inſunt *activæ*, & ad percipiendum determinantes, excitantes, aut etiam à percipiendo retrahentes; ineſt denique ſemel percepta *retinens*. Idearum igitur propter facultates apprehendentes, triplex eſt diverſitas, nam vel *ſenſibus* percipimus, vel *Imaginatione*, vel *Intellectu*, quæ ſinguli propria ex- Facultatum diviſio.

perientia doceri poſſunt, prout vel objectorum præſentium actionem ſentiunt, vel abſentium, aut Imaginem veluti coram oculis interioribus ſiſtunt, aut abſque ullo phantaſmate contemplantur.

CAPUT III.

De Perceptione Intellectuali.

1\. Q. AN Intellectûs naturam cognitam penitus habere Logico putas neceſſarium?

Qualis requiratur intellectus cognitio ad Logicam.

R. Non magis quàm artifici naturam motûs ſcrutari, aut texturam fibrarum & muſculorum, ut ex arte membra verſari, atque inſtrumenta agere queat; Hic ſufficit omnino cognitio experimentalis, ut ſinguli, ſibi modo attendentes, idearum *Intellectûs*, actuumque *Intellectualium* prærogativas, & Characteres detegere poſſint.

2\. Q. Quid ſit perceptio *Intellectualis*, quâ ratione indicares, & quò modo ei notum faceres, qui in naturam, & mentis actus nunquam inquiſiviſſet.

Perceptionis intellectualis deſcriptio.

R. Monerem *primò* corporum in orga-

organa ſenſuum impreſſiones, perceptionum earum, quæ viſûs, auditûs nomine veniunt, cauſas eſſe, aut occaſiones. *Secundò* iſtarum impreſſionum reliquias, earum iterum perceptionum eſſe cauſas, aut occaſiones quibus affecti *imaginari* dicimur, cum ſcilicet, quodam cogitandi conatu, res percipimus, quaſi præſentes agerent. *Tertiò* eſſe alium modum cogitandi, quem mens maximè exercet, cum ſenſus & imaginatio maximè feriantur, atque eſſe quam plurima ad quorum intelligentiam, nunquam ſenſus, nec imaginatio aſſurgunt, quæ intellectualis iſte cogitandi modus omninò aſſequitur, tales ſunt Ideæ *affirmationis*, negationis, exiſtentiæ numerorum, veritatis, virtutis & vitii, cognitionis.

Q. In quibus iſta perceptio cæteris præſtat & antecellit? 3.

R. Cùm minus à corpore pendeat, minùs quoque ab eo variatur & vitiatur, eſt celerrima, eſt puriſſima, eſt maximè univerſalis, adeoque in cæterarum facultatum rectorem aſſumendus eſt *Intellectus*. Perceptionis intellectualis prærogativæ.

Q. Intellectualium notionum accuratè 4.

ratè efformandarum, quâ ratione habitus comparari poteſt?

Intellectualium notionum formandarum habitus, quomodo contrahatur.

R. Hæc Methodus uſurpanda quam celebravit Carteſius: Supponendum ad tempus, nihil exiſtere extenſi, nihil quod ſpatium occupet, ſed omnia hæc eſſe mentis deluſæ ludibria. Quantumvis talia ſupponas, tibi, talibus turbato, & fluctuanti, hoc manebit inconcuſſum te cogitare, ſcies te cogitantem eſſe, nec de hac certitudine quidquam peribit, etſi cætera omnia neges: Ideam, ergò jam habes cogitationis, cognitionis, entis exiſtentiæ ſuæ conſcii. Ego inihi conſcius, ego cogitatio, conſcia ſe eſſe cogitationem nunc de hâc, nunc de illa re, cognoſco pauca; habeo igitur ideam cogitationis cognoſcentis plura, imò omnia. Non ſemper extiti & Conſcius mei fui, habeo igitur ideam Cogitationis quæ ſemper fuit, cogitaiionis realiſſimæ æternæ. Mihi ſœpè malè eſt, dubius ſum, fluctuo, ægritudine premor, cui ſuccedit ſpes, lætitia; hac occaſione formo ideam cogitationis ſemper beatæ, omnia habentis, & facientis quæcumque vult habere, & facere, idque ſine anxietate, ſine labore

bore, ſed ſummâ cum facilitate. Qui per plures dies, ita ſui Deique ideam ſecum verſabitur, contrahet habitum rerum contemplandarum, quæ ſint exutæ phantaſmate, talique exercitio robur acquiret *Facultas Intellectualis*, ejuſque facillimè exercendæ habitus comparabitur, qui ſemel contractus, talibus exercitiis, fovendus & firmandus erit.

Q. Suntne aliquæ aliæ diſciplinæ quæ idem præſtare valeant? 5.

R. Intellectus puri exercendi habitus confirmatur Algebræ ſtudiô, nam quamvis hæc ſcientia adhibeat ſigna Imaginationem, & ſenſus afficientia, quia tamen, inter ſigna, ideaſque ſignis deſignatas, non intercedit niſi arbitraria connexio, nec quicquam ſimile talia ſigna habent cum ideis quas deſignant, fit ut intellectus ideas verſari aſſueſcat, ab ideis Imaginationis planè diſcrepantes. Quod confirmatur.

Q. Sed ipſe intellectus, cæterarum facultatum rector, nulliſne inficitur vitiis quæ nos in errorem detrudant? 6.

R. Imò nam delectatur ideis univerſalibus, hæret notionibus vagis, quæ eô ipſô, quò vagæ ſunt, non deter- Intellectus vitia.

determinatæ, errori occaſionem facilè præbent. Delectatur item conſtantiâ, ſive quia ideæ quas volvere amat, & quæ ſibi peculiares ſunt, minùs variantur quam illæ, quas ſenſibus haurimus, ſive etiam quòd inconſtantia, variantiaque objecta, cognitu difficiliora ſint.

7. Q. His vitioſis diſpoſitionibus quænam remedia opponeres?

Remedia. R. Suſpectum eſſe debet, quidquid Intellectum potiſſimum capit, detinet, in aſſenſum abripit, ſic purus, & æquus ſervabitur, errorque præcavebitur, ſi, quæ maximè arrident, ſeveriſſimè excutiantur.

8. Q. Hæc ne ſunt ſola vitia quibus Intellectus inficitur?

Intellectus anguſtiæ. R. In ipſius anguſtias quàm plurimorum errorum fontes refundi debent, dum limitum, quibus circumſcribitur immemores, eorum, quæ non comprehendimus exiſtentiam credere recuſamus, atque de nobis audaciùs præſumentes, graviſſimô in diſciplinas Philoſophicas damnô, atque in ipſam Religionem redundaturô, Intellectum noſtrum abſurdè rerum menſuram conſtituimus, tantùm-

tùmque, non plus rebus ineſſe putamus, quantùm eſt in cogitatione noſtra.

Q. Quænam eſt ratio hujus præſumptionis evellendæ? 9.

R. In hunc finem conducet, exercere mentem, circa quæſtiones eas, quarum τὸ διότι, nullâ mentis agitatione aſſequimur, τὸ ὅτι verò quin concedamus, nullâ ratione effugere licet, & talia ſunt plurima myſteria. Quâ cautione utendum ne noceant.

Q. Sed Intellectûs noſtri limites nonne proferri poſſunt? 10.

R. Imò, exercitatione ſcilicet. Sic inchoantes Arithmeticam, duobus, vel tribus numeris, ſufficienter occupatos, ſucceſſu temporis, longa admodùm ſeries minimè turbat; & quemadmodum pictor exercitatus, unicô obrutu, in tabellâ obſervat, quibus detegendis, vix hora ſufficeret imperito, ſic mens, meditatione aſſuefacta, eas ideas momentô percurret, quarum ſingulæ, ineruditos diu morarentur. Qui ſtudiorum initiô, vix duarum aut trium idearum examini incumbere valebat, aſſequitur tandem, ut plurimarum nexum momentô videat. Sed exercitium ordo comite- Intellectus ampliatio.

mitetur. Objecta quippe, ordine diſpoſita, quamvis numero plurima, mentem neque onerant, neque perturbant; idemque hic Intellectui, quod ſenſibus uſu evenit; Vires animi, eâdem Methodo augentur, atque corporis, inertiâ extinguuntur, violentis perimuntur conatibus, ſed prudenti, & temperato labore, ſervantur & ampliantur. Nom modo diligentiâ & habitu examinandi extenduntur & augentur Intellectûs vires, ſed etiam ſtudiorum diverſitate: Evenit quippe, ut in unica ſcientia & arte exercitatus & oculatus, in aliis cæcutiat, quorum certitudinem demonſtrat quidem Matheſis, ſed ad quorum plenam comprehenſionem finitam noſtram mentem non evehit.

11. Impracticis. Q. In quibus ingenium ſuum exercere debent, qui ad eam contendunt mentis capacitatem quæ ad praxim maximè conducit?

R. Hanc parari conjicio, ex plurimorum eventuum obſervatione, ſi cum eventibus jungantur Circumſtantiæ, quæ ad eos producendos, parùm vel plurimùm, contulerunt; ſi attendamus, quid, & quàm ſæpius,

ſæpius, ex tali & tali combinatione oriri ſoleat, & cur poſitis his & illis circumſtantiis, tales & tales effectus ſequi aut inhiberi ſoleant, quarum circumſtantiarum, cum effectibus poſſibilibus, quàm celerrimè conferendarum, habitus frequenti & lectione & rerum quæ geruntur animadverſione, comparandus eſt, quæ omnia, ingenium perſpicax, memoriam firmam, & uſum diuturnum poſtulant.

CAPUT IV.

De Perceptione ſenſuum.

Q. QUænam, & quot voce ſenſationis deſignantur? 1.

R. Motus, ſive affectio organi corporei, cùm externi, tùm interni, iſteque ſenſationis gradus hominibus, cum brutis, haud dubiè communis eſt. 2. Perceptio quædam, non indivulsô tamen nexu, cum organo affecto conjuncta; Plurima quippe in ſenſus incurrunt, quæ non percipimus, mente aliis cogitationibus intentâ. 3. Judicium quo pronunciat mens,

Senſus quot complectantur.

mens, aliquid extare extra ſe, hoc & illo modo conſtitutum, quod afficiat organum, & ſenſationis cauſa ſit.

2. Q. Qui ſunt uſus harum diſtinctionum?

Non confundenda

R. 1. Non confundere modificationem corporis, ſui neſciam, cum perceptione, quæ mentis eſt. 2. Non confundere Judicium quod ſæpè falſum fertur, cum perceptione, quæ errandi occaſionem equidem præbet, ipſa falſa nunquam eſt: Intuens lupum, quem canem reputat, Canis ideam habet, id certum & indubitatum, ſed quod objectum, Lupus tali in diſtantiâ poſitum, tali ideæ reſpondeat, id dubium, & in iſto caſu falſum.

3. Q. Quid fit, ut actus illi duo, quamvis plurimùm diverſi, confundi tamen ſoleant, & tanquam unicus conſiderari?

Cur tam frequens eſt, & cur.

R. Id fit, 1°. quia alter alterum ſummâ celeritate ſequitur, imò ſimul ſunt, 2°. quia eodem atque unico nomine veniunt. Quò ſæpius modi cogitandi mentem eodem tempore occuparunt, eo facilius & frequentius ſimul recurrunt & in unum confunduntur,

duntur, qui errorum multiplicium fons eſt.

Q. Eſtne inter perceptiones ipſas diſcrimen Logico notandum? 4.

Perceptiones triplices.

R. Imò, pulsô quippè organô, modò, nec ſit vitiatum, nec aliis mens diſtrahatur cogitationibus, perceptiones excitantur protinus, coloris, v. g. rubri, &c. quæ ſunt ſui tantum notificatrices, ſtatus animæ, modi cogitandi, quos noſcit, quorum conſcia eſt; Excitantur quoque perceptiones extenſionis, figuræ, ſitûs, rerum à cogitatione diverſarum, Has ſpecies duas confundentes, ſupponunt & quærunt, in rebus extra nos poſitis, quod ab ipſarum naturâ prorſus alienum eſt. Eſt igitur diſtinguendum, inter perceptionem, quæ eſt *Idea*; & perceptionem, quæ eſt *ſenſatio*.

Q. At unde noſti, non exſtare in objectis, quid ſimile ſenſationibus illis, quæ veniunt nomine Coloris, Caloris, &c. 5.

Senſatio ſui tantum repræſentamen.

R. Intelligimus 1. facilè, in corpore quid extare non poſſe, cujus caloris & frigoris v. g. ſenſationes repræſentamen ſint, niſi in corpore quid extet ſui conſcium. 2. Si frigus, calor, quali-

qualitates eſſent abſolutæ, & ſimplices ſenſationum prototypi, ut moles, moli ſuperaddita, neceſſariò molem majorem procreat; ſic frigus, adjunctô frigore, foret ſemper intenſius, nec magis eadem aqua, ab alterâ manu, calida, ab alterâ, frigida ſentiretur, quàm corpus quadratum dextræ, ſiniſtræ verò rotundum judicatur. 3. Cur voluptate, aut dolore affectus, acû, v. g. punctus, aut flamma adustus; non adſcribit acui, nec flammæ ſenſationi ſuæ dolorificæ quid ſimile? Cur ſenſationum quarundam, prototypi extarent extra nos, aliarum minimè?

6. Q. Perceptiones igitur ſenſuum, ex ideis Intellectus corrigendas cenſes?

Corrigendi ſenſus per Intellectum.

R. Scilicet, nam inter Intellectuales ſemper optimè convenit; ſenſuum contrà perceptiones, non raròopponuntur, *Intellectuales* conceptus experientia ſemper comprobat. (Machinam v. g. accuratè ab Intellectu deſcriptam opere ipſo effinges) at *ſenſuales* experientia ſæpe deſtituit.

7. Q. Plura ne ſunt diſtinguenda in ſenſationibus?

Senſatio differt à ſenſatio-

R. Omninò, nam 1. alia ſenſatio eſt,

eſt, alia ſenſationis memoria; memor nis memoria.
frigoris & doloris, nec friget, nec dolet, ſed friget & dolet, cùm frigoris & doloris perceptiones præſentes ſunt, vocabulis harum refrico memoriam, ſed non excito præſentiam. 2. Diſtinguendæ perceptiones, quæ ſenſibus excitantur immediatè, ut perceptio ſonorum, ab iis, quas mens, occaſione primarum illarum excitat, quales ſunt ideæ rerum, ſonis & ſignis indicatarum, illæ *primariæ*, hæ *ſecundariæ*, dici poſſunt, quæ occaſione primarum, cum quibus nullam habent neceſſariam relationem & connexionem; nunquam excitarentur, niſi earum excitandarum, mens in ſe poſſideret facultatem; ſic v.g. ſonum, quem pronuntiatio vocabuli. DEUS edit, audiens, admonetur de excitanda ſummi entis ideâ, eamque excitat protinus, quia quam ejus formandæ facultatem habebat, ejus exercitium, huic ſono alligari voluit; hanc igitur, non ſonus ſed mens ipſa, occaſione ſoni, efformat.

Q. Quænam objecta per ſenſus cognoſci poſſunt? 8. Objecta ſenſuum.

R. Rerum corporearum illæ, quæ in

in organa ſenſuum ſufficienter agere valent, ut earum actio & ſentiatur & diſtinguatur.

9\. Q. An ex ſenſationibus noſtris, ſive perceptionibus ſenſualibus, tutò inſertur rerum exiſtentia?

Rerum exiſtentia.

R. Quivis, modo non ſit deſperatæ atque invictæ pertinaciæ, facilè conceſſerit, ſenſationum noſtrarum cauſas exſtare, & has, extra mentem ſentientem, quærendas; cùm jucundis pro libitu non afficiamur, ingratis contra, ſæpè inviti, lædamur; præthereà cùm ſenſationes, non tumultuatim, & ad inſtar ſomniorum, abſque ullo nexu & ordine, nunc hoc, nunc diversò planè modo excitentur; ſed perceptiones hujus diei, inter ſe & cùm perceptionibus totius vitæ accuratè congruant, & tam accuratè, ut objectorum poſitio, realiſque exiſtentia tali ordini nihil ſuperaddere poſſet, certè aut ipſe rerum nexus tam ordinatarum & colligatarum perceptionum cauſa eſt, aut rerum ordinem mentitur Intelligentia vivaciſſima, potentiſſima; quæ, ut mihi fucum faciat, ſibi perpetuum faceſſit negotium; quod ſupponere ſummè delirantis eſt.

Q. Eſſe

Q. Eſſe corpora deprehendi ſenſibus fateor, ſed qualia ſint, an hâc viâ conſequi poſſimus, adhuc dum nonnihil hæreo. 10.

Rerum conſtitutio craſſior.

R. Craſſiorem quod attinet cognitionem, quâ, mole conſpicua corpora, à ſe invicem certò diſcernantur, ex ſenſibus haud dubiè comparatur. Structuram prorſus admirabilem organorem attendens, non facilè inducet animum; ut credat hanc fortuitò natam, nullumque in finem creatam. Quem porro potiorem aſſignabis uſum ſenſibus; quàm frui rebus corporeis, & efficere, ut commercium, menti intelligenti, cum corporibus, & rebus extenſis intercedat. Finis autem talis poſcit omninò, ut corpora ſenſuum ope, à ſe invicem dignoſcantur, adeòque qui hunc finem ſibi propoſuit. iſtâ quoque vi ſenſus donavit, quâ unum corpus ab alio diſcernerent: Certi ergo ſumus, per hanc ſenſuum relationem, differre equum ab arbore, turrim ab igne; nam fallacem facultatem deprehendi, tunc, cum vel maximè, munere ſibi proprio, cuique fungendo nata eſt, fungitur, quis ſibi perſuadeat, quis

ſine Auctoris noſtri dedecore ſtatuat?

11. Q. Sed cum ſenſus ſæpè decipiantur, ne ſenſibus credendo erremus, quas cautiones adhibendas cenſes?

Cautiones adhibendæ.

R. Ut ſenſibus fides adhibeatur, tria, requiri ſolent, 1. Legitima organi conſtitutio, 2. debita diſtantia, 3. commoda medii diſpoſitio, quibus addendum puto, fidem ſui, indubitatam perceptiones ſenſuum facturas, ſi res ſenſibilis, omnibus ſenſuum organis, quæ afficere quâcunque ratione valet, examinata, eandem, ſe, ſingulis ſenſibus, præbeat; ſi diverſis vicibus explorata, conſentientes impreſſiones edat: ſi in plures homines, eodem modô, conſtanter agat; nam cum erroris mille figuræ, veritas verò ſimplex ſit, aberrationes plurimorum organorum, plerimorumque mediorum depravationes, idque diverſis temporibus, conſtantes eſſe, credibile non eſt.

12. Q. Sèd cùm plurima ſint, unde vires corporum pendent, effectuſque manant; quæ ſenſuum tamen aciem fugiunt, vel quòd nimiùm diſtent, vel quòd per interjecta corpora, aut præ tenuitate, videri non poſſint, aut

Qua ratione per ipſos ſenſus ad ea quæ ſunt ſenſibus

aut quòd rapidiori ferantur motu, aut quòd tardiori motu incedant, aut quòd ſenſum debiliùs nimium percellant, ad talia detegenda, nihil ne, ab ipſis ſenſibus, juvari poſſumus? ſu periora evehamur.

R. Imò occurrunt 1. Inſtrumenta, quibus vires ſenſuum ampliantur; his Maculæ ſolares, Veneris Phaſes, aliaque plurima in cœlo obſervata; his inſectorum ova, figuræ ſalium, aliaque innumera in exilibus objectis deprehenſa ſunt: Occurrunt 2. experimenta, quæ & conjecturis viam pandunt, & conjecturas fulciunt, atque ex probabilibus certiſſimas reddunt.

Q. Arte verò opus eſt, ad ejuſmodi auxilia, ex ſenſibus percipienda? 13. Experimenta quomodo ſumenda.

R. Omninò, eſt 1. initium faciendum à ſimplicioribus, & maximè obviis, quibus neglectis, majoribus non eſt locus. 2. Non modò hiſtoria naturalis, ſed res mechanicæ, ſunt diligenter obſervandæ; eſt quippe natura nihil quam mechaniſmus, efficitque per minima, quod manus noſtræ per magna; ſunt 3. experimenta iteranda, ut certus ſis phænomenum, ex concurſu aliquô fortuitô, non proceſſiſſe; 4. extendenda, ut ſcias, num

quod procedit in parva copiâ, ſuccedat item in majore; 5. varianda, ut ſcias num ex cauſæ agentis, an ex materiæ recipientis, diſpoſitione, effectus manet; 6. transferenda, id eſt, locis, temporibus diverſis uſurpanda, ne uni, aut alteri cauſæ, in ſolidum, adſcribas, quod à plurimarum concurſu proficiſcitur.

14. De ſenſuum utilitate ad attentionem.

Q. Cùm mentem ſenſus vividè afficiant, & maximè applicent, attentioni firmandæ videntur maximè conducere?

R. Anceps eſt talis ſenſuum utilitas, cum attentioni nunc proſint, nunc obſint: Moderatè igitur adminiculo tali utendum, ne quod in re ſenſibile obverſatur, animum ad ſe trahens, à conſideratione eorum, quæ ſenſibilia non ſunt, avocet, & ſolicitè cavendum, ne perceptionum jucunditate ſenſus imponant, in aſſenſum quippe perceptionis jucunditas inclinat mentem, quæ ſolâ veritatis luce, ſolò rerum pondere, flecti deberet.

CAPUT

CAPUT V.

De facultate Imaginatrice.

Q. Quid per *Imaginatricis* facultatis perceptiones intelligis? 1. Quid ſit facultas Imaginatrix.

R. Perceptiones *Imaginatricis* facultatis, mihi ſunt omnes, quæ *cum affectione corporis conjunguntur, & ab affectione corporis pendent.*

Q. Vis ejus an etiam in perceptiones *Intellectuales* diffunditur. 2. Ejus vis in intellectum.

R. Sine dubio, nam mens ideas excitans earum rerum, quibus nihil unquam vidit ſimile, nec audivit, quòd in ſenſus non incurrant, quales ſunt, cogitatio, ſapientia, veritas, affirmatio, aut negatio, aliaque plurima, imaginatione tamen juvatur, vel retardatur, quòd imaginatio veſtigia contineat & expromat ſignorum, quibus tales conceptus alligati ſunt.

Q. Quænam ea ſunt quæ Imaginationem variant, & conſequenter juvant, vel inficiunt. 3. Unde varietur.

R. Experientiâ notum, pro temperamenti, ſexûs, ætatis diſcrimine;

Pro diverſa aëris temperie, cibi & potûs, quantitate, & qualitate, pro diverſa inſuper educatione, morum, & hominum quibuſcum vivimus, differentiâ, pro ſtudiorum, ſortis, & generis vitæ, pro habituum denique & conſuetudinum diverſitatibus, facultatis Imaginatricis perceptiones intendi, remitti, diſtorqueri, aut perfici, varias denique emergere.

4. Temperamentum quadruplex. Q. Temperamentum quotuplex facis?

R. Diſtingui ſolet in *Sanguineum*, *Bilioſum*, *Melancholicum*, *Phlegmaticum*.

5. Sanguineum. Q. Quale eſt *Sanguineum?*

R. In quo caloris principia, & calorum temperantia, aptiſſima proportione combinantur.

6. Sanguinei prærogativæ. Q. Quæ ſunt iſtorum *prærogativæ?*

R. Conceptus fingere, ipſis non laborioſum, nec ab aliis ſubminiſtratos ſibi imprimere moleſtum, nec denique impreſſos fovere, & ſalvos retinere operoſum eſt, velint modò; quippe & mobilitate vigent, & firmâ conſtitutione donantur; ex illâ operandi celeritas, ex iſtâ recordandi conſtantia manant. Animi prætereà ſenſus

ſenſus, & vividè, & eleganter exprimunt, non enim ipſis deeſt, nec vis, nec lepos, qui in æqua proportione ſitus, ex temperamentô tam æquabiliter mixtô ſuapte fluit.

Q. Quæ *vitia ?* 7.

R. Rei ſeriæ nihil penè meditantur, Vitia.
ſed in voluptates corporeas effuſi, has ſolas affectant; mens quippe in ea propendet naturaliter, quibus perficiendis corpus maximè idoneum occurrit, undè qui ſalubriori ſunt temperamento, & firmiùs conſtitutâ valetudine utuntur, in voluptates proniores deprehenduntur.

Q. His vitiis quâ ratione obviam 8.
eundum eſt ?

R. Omni induſtriâ, ratione, exem- Remedia.
plis enitendum eſt, ut ad ſolidas, durabiles, imperturbatas, nec tædio, nec pœnitudine, quam ſecum trahunt, moleſtas, illam vehementem propenſionem, quâ in delicias feruntur, convertant: Ad quem ſcopum aſſequendum, è re imprimis erit, captare tempora, v. g. morbi, luctûs, damni illati, contumeliæ perpeſſæ, iniquorum, verbô, moleſtorumque caſuum, quibus hominum vita fre-

quenter turbatur; menſque corporis voluptatibus addicta mancipatur infœlicitati (*a*).

9. Bilioſum temperamentum. Q. Quinam tibi dicuntur *Bilioſi?*

R. In quibus *fervor major*, & motus concitatior.

10. Virtutes. Q. Quæ ſunt iſtorum *virtutes?*

R. Obices promptiùs ſuperant, diſficultatumque ambages acriùs prævident, & expediunt.

11. Nævi. Q. Qui *nævi?*

R. 1. Objecta raptim percurrunt, moræque impatientes leviter perſtringunt, inde fit ut ipſos plura fugiant, atque attributum cum attributo facilè confundant, 2. à ſolidioribus, ſubtilitatum ſtudio, avocari ſolent, nam delectantur homines iis faciendis, quæ ſibi quidem facilia, cæteris difficilia videntur. Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas. Illi non præferunt lumen

Apud Hor. *C. Carm. L. I.* legitur *Deſcriptio vitæ ſimplicis & beatæ.*

(*a*) Me paſcunt olivæ
Me chiconea leveſque malvæ
Frui paratis & valido mihi,
Latœ, dones, ac precor integra
Cum mente, nec turpem ſenectam
Degere nec cythara carentem.

lumen per quod acies dirigatur ad verum, iſti oculos mihi effodiunt. 3. Fervens imaginatio ideis ſuis, eoſdem, quibus res ipſæ continentur, limites aſſignare neſcit, magna hyperbolicè ampliat, tenuia propemodùm evaneſcere facit. 4. Vi concitati temperamenti abripiuntur, & ad extremum virium agunt, indeque fit, ut non æquali tenore procedant, ſed temperamento, in quod violentum, debilius eſt mentis imperium, non imperantes, ſed obſequentes, pro æquabili rationis motu, quò ſolò agi deberent, cæco quaſi impetu huc & illuc, feruntur, quâ ex inæqualitate, non poteſt non oriri, in conceptibus ſumma differentia, ac plerumque vividos languidi ſequentur: fervens imaginatio objectum ſuum in partes ſecabit, ultrà quam oporteret, obſervationum, relationum, & diſtinctionum multitudine mentem turbabit; mox fatigata & torpens, plurima conſideratu digna omittet, differentias prætervolabit, diſtincta confundet. 5. Inde fit, ut vix quidquam inchoent, quod præ tœdio non deſerant, antequam ad finem pervenerint.

12. Cura. Q. Quibus mediis, his nævis *curam* adhiberes?

R. Talium vitiorum *meditatio*, pharmacum jam eſt præſentiſſimum; eorum quippe hæc eſt natura, ut eò magis ſerpant, quò minùs animadverſa, eo minùs, quô magis cognita; Fervida igitur indole donatus, ſuſpectas habeat ſubtilitates, caveat extrema, & denique ad meditationes ſuas æquabiliter dirigendas, impetus ſubinde reprimat ſuos, laboremque, frequentibus pauſis, vel invitus & reluctante inclinatione, interrumpere meminerit; ſic enim vires vividas, vegetas, continuas ſervabit, etiam in labore intentô, modò non diuturniore nec, donec vires exhauſtæ ſint, perdurante.

13. Melancholici, & Phlegmatici. Q. Quos vocas *Melancholicos?*

R. Tardiores, & *ſegniùs procedentes.* quibus idcirco accedunt *Phlegmatici.*

14. Bona. Q. Quid eſt, in quo juvet imaginationem ejusmodi temperamentum?

R. 1. Iſti ſolidum ſubtili præferre ſolent, 2. Objectum ſuum exhaurire, utpotè cui contemplando diutiùs inhærent,

hærent, 3. defixâ attentione, errorem ſæpiùs vitant.

Q. Quibus tardatur & impeditur? 15. Mala.

R. 1. Difficultatibus magis detinentur, 2. unico aut paucis attributis tenacitate nimiâ defixi cætera prætermittunt, 3. obſtinati ſunt, & revocari neſcii.

Q. Quid igitur iis eſt *faciendum?* 16. Pharmaca

R. *Sibi diffidant*, alios conſulere & magnifacere aſſuefiant, votisque omnibus optent, non ut ſuæ opiniones ab aliis ut veræ recipiantur, ſed ut veritas ſibi, ſive per ſe, ſive per alios, manifeſta fiat

Q. Vitia ex temperamento orta, nonne *vivendi modus* corrigeret? 17. Remedia generalia.

R. Imo, adeoque & à *Medicinâ*, & ab *experientiâ* præſertim, remedia quærenda, ſed præcipuum ab ipſa *Ratione* petendum, cæcis illis & ſui neſciis motibus maſculè obluctandum, frequenti contradictione vis eorum atterenda eſt; ſubſident etiam ſponte ſuâ, modo ſurdâ aure prætereantur, & quod poſtulant exequi inſuper habeatur; ut enim habitus iteratis firmantur actibus, ſic neglectis illis actibus, quibus roborari ſolent,

ipſi ſenſim evaneſcunt.

18. Q. Quinam ſunt Characteres *muliebris imaginationis?*

R. 1. Externis, affectus ſuaviter commoventibus, ſenſationesque jucundas excitantibus maximè capitur, quibus intenta, 2. quæ rebus magis intima ſunt, aut prorſus negligit, aut leviter tantum attingit, 3. muliebre genus capitur aptè dictis, acumen redolentibus, novitate ſuâ, quandoque obſcuritate, & ſublimitatis magnificâ ſpecie, admirationem excitantibus, quibus inhians nimiùm; 4. ab expendendis quæſtionum momentis, & à cauſarum cum effectis, argumentorum cum probandis, nexu, qui debet eſſe quàm arctiſſimus contemplando, ut à labore nimiùm operoſo, atque ingrato ſedulò abſtinet. A principiis ſemel poſitis, ad conſequentias ordine progredi, omni cohibitâ evagatione, omni pulsâ obſcuritate nullâ ſuppoſitione non accuratè excuſſâ, laborioſum, & conſequenter Imaginationi muliebri moleſtum, quæ contentum laborem fugit, diverticulis & multiplicitate gaudens.

19. Q. Ætates quomodo diſtinguis?

R. In

R. In *tria* tempora, *primam* faciens eam, in quâ ut corpus, ſic animus à perfectione ſua longiſſimè abeſt, iſtique infantiam cum adoleſcentiâ aſſignabimus, *Media* nobis erit, in quâ, ut corpus, ſic animi vires maximè vigent. *Ultimo* denique loco, erit ſenectus vitam terminans. Ætatum diſtributio.

Q. Qui ſunt relatè ad ſcientias, *juvenum* Characteres? 20. Juvenum Indoles.

R. Juvenum eſt *Inattentio*, Levitas, Idearum imperfectio & obſcuritas, debilitas, & ad ea quæ difficiliora ſunt inaptitudo; his accedit nimia flexibilitas, ſimulque nimia præſumptio.

Q. Ne nihil agendo, malè agere diſcant, in quibus exercendi? 21. Iſti quibus exercendi.

R. Memoria eorum ornari poteſt. Præterea Juventus *Mathematicis*, in quibus nec errandi periculum ſubeſt, nec obſcuritati idearum facilis locus occurrit, exerceatur.

Q. Quid Ætas virilis habet eximii? 22. Ætatis virilis laudes.

R. Imaginationis operationes maximè puræ ſunt in ea ætate, nam adoleſcentiæ deferbuit æſtus, ſenii torpore nondum ingruente, naturâque tardis exercitatio velocitatem, conciliavit,

liavit, ſed ut *minùs tardi*, ita quoque *minùs præcipites*, tali in ætate Viri reperiuntur, nam plurimarum rerum experientiâ, & conſequenter plurimarum aberrationum conſcientiâ, moniti, attentiùs ponderandis, & penſitandis, objectis, aſſuefacti ſunt.

23. Defectus & remedia. Q. His quæ *mala* contraponderant?

R. Errorum in quos lapſi ſunt viri, juvenibus *tenaciores* reperiuntur; Reputent ergò ſubindè, hominem dum vivit, cognitionis ſaltem reſpectu, in infantili imperfectione ſemper repere.

24. Senilis ætas. Q. De *Senibus* quid cenſes?

R. Iſtorum Imaginatio *perturbationum moti-*

Hor. *de A. P. v.* 158.

(*b*) Reddere qui voces jam ſcit Puer, & pede certo
Signat humum; geſtit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas,
Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet Equis, Canibus, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus, proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.
Converſis ſtudiis ætas, animuſque virilis
Quærit

motibus minùs offuſcatur, ſed præterquàm, quòd in erroribus ſuis *obfirmati admodùm* eſſe ſolent, *non rarò* in eos *labuntur*, dùm ob Idearum confusè digeſtarum multitudinem, alteram pro alterâ facilè ſumunt; Multiplici prætereà rerum experientiâ inſtructi, ſibique multum *aſſentantes*, quidquid nondum cognoverunt, tanquàm falſum aut inutile repudiare ſolent, dedecorique ducunt fateri ſe aliquando erraſſe, quibus vitiis olim declinandis, conſtanter nobis propoſitum ſit, ibi tacere, ubi ignoramus, nec de incompertis judicium unquàm, quò de iis decidatur, ferre (*b*).

Q. Ex

Quærit opes & amicitias: inſervit honori;
Comiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes, gelidè timidèque miniſtrat:
Dilator, ſpe longus, iners, avidusque futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt.

25. Vis aëris in Imaginationem

Q. Ex aëris temperie, & ciborum quibus alimur naturâ, vim Imaginationis affici putas?

R. Hâc de re, & propria experientia, & hiſtoriæ cognitio ut dubitemus non ſinunt, adeoque ſi fieri poſſet, ibi ſedes ponenda foret, eaque victûs, ratio uſurpanda, quâ Imaginatio plurimùm perficeretur, puriorque evaderet, vivacior, ſimulque mentis imperio obſequentior. Sobrietas, lætitia & exercitium craſſiorum ciborum effectus corrigere poſſunt.

26. Educationis optimæ requiſita.

Q. Quæ obſervanda putas, ut quàm maximè perficiatur vis Imaginatrix per educationem?

R. 1. Juvenis ad ea, quibus, ſuæ naturæ inſtinctu, deſtinatus videtur applicandus, nam naturalis propenſionis ductui obſequenti, alacriter promptè & expeditè operari naturale fiet; cum reluctante naturâ ſtudens, tardis & inattentis cogitationibus aſſuefiet. 2. Nec ſimpliciter ſequenda inclinatio, aut affectus excitandi, ſed affectibus ratio ſemper præluceat oportet, & juvenes aſſuefaciendi, rebus probandis, aut improbandis, de iis ex ideis claris, non ex affectibus, judicando,

cando, quæ ideæ quamdiu deerunt, tamdiu aſſenſus cohibeatur. 3. Ne arctioribus nimiùm limitibus circumſcribatur, ſed, quantum fieri poteſt, ad quævis percipienda, evadat idonea, in diverſis exercenda erit, imò naturali ſuæ propenſioni repugnantibus, verùm, cautè, prudenter, parce, vicibus iteratis, non diuturnis, nec initio frequentibus, mercede Juvenis ingenio attemperatâ, identidem laboris moleſtiam levante. Optimum ſcilicet erit, juvenis educandi, Imaginationem, nunc unico objecto, per non brevis temporis ſpatium, addicere, nunc multitudine eandem exercere, nunc ad unitatem redire, nunc diuturniorem attentionem, ab eo exigere, nunc per breviſſimas & iteratas vices eum excolere, imò & à ſtudiis, quibus ultrò ſe totum addixit, quandoque revocare, tenoremque ipsâ continuitate quandoque gratum & jucundum intervallis diſtinguere, ſic enim Imaginatio longè flexibilior evadet; omnem excutiet contumaciam; paſſiva, non activa, & juſſis parere unice edocta, non cæcis, & ſui neſciis motibus mentem impellet,

ſed ipſa, pro rationis imperio, ſeſe duci ſinet lubens. 4. Denique ne inani pompae ſeſe mancipet Imaginatio, maturè diſcant juvenes ab apparentibus realia bona diſcernere, ab ipſa diſcentes experientiâ, quam illa ſæpe fallant, adeoque contemnenda ſint (c).

CAPUT

HOR. *Serm. L. II. Sat.* 3. *v.* 171.
(c) Poſtquam te talos Aule nuceſque
Ferre ſinu laxo, donare, & ludere vidi;
Tu Tiberi numerare, cavis abſcondere triſtem:
Extimui, ne vos ageret veſania diſcors:
Tu Nomentanum, tu ne ſequerere Cicutam.
Quare per Divos uterque oratus Penates
Tu cave ne minuas; tu ne majus facias id
Quod ſatis eſſe putat Pater, & natura coercet.
HOR. *Sat. L. I. S. I.*
Quî fit Mecenas ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat: laudet diverſa ſequentes?
O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra Mercator, navim jactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
ỷ. 28. Ille

CAPUT VI.

Facultatis Imaginatricis Luſtrum Perſequens.

Q. Conſuetudo, quæ cum cæteris hominibus nobis intercedit, — 1. Quid poſſit commercium.

℣. 28. Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Seſe ferre, ſenes ut otia tuta recedant,
Aiunt. cùm ſibi ſint congeſta cibaria.
℣. 38. Cùm te neque fervidus æſtus
Demoveat lucro, neque hiemes, ignis, mare, ferrum,
Nil obſtet tibi, dum ne ſit te ditior alter:
Quid juvat immenſum te argenti pundus & auri
Furtim defoſſa timidum deponere terra?
℣. 49. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret, at ſuave eſt ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris? ℣. 59.

cedit, an etiam quid poteſt in vim imaginatricem?

R. Plu-

℣. 59. Qui tantulo eget, quanto eſt opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falſa,
Nil ſatis eſt, inquit: quia tanti, quantum habeas ſis.
Quid facias illi? Jubeas miſerum eſſe libenter
Quatenus id facit.

℣. 66. Populus me ſibilat: at mihi plaudo,
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

℣. 76. An vigilare metu exanimem, noctesque dieſque
Formidare malos fures, incendia ſervos,
Ne te compilent fugientes; hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.

℣. 84. Non uxor ſalvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris, cùm tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet, quem non merearis, amorem?

℣. 92. Denique ſit finis quærendi, cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minùs; & finire laborem
Incipias, parto quod avebas . . . . .

℣. 106. Eſt modus in rebus: ſunt certi denique fines,

Quos

R. Plurimùm: Nam imus quò itur, potiùs quàm quò eundem, atque ridicu-

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

ỷ. 108. Nemon' ut avarus
Se probet, ac potius laudet diverſa ſequentes?
Quodque aliena capella gerat diſtantius uber,
Tabeſcat, neque ſe majori pauperiorem
Tubæ comparet; hunc atque hunc ſuperare laboret?
Sic feſtinanti, ſemper locupletior obſtat.
Ut cùm carceribus miſſos rapit ungula currus,
Inſtat equis auriga, ſuos vincentibus; illum
Præteritum temnens extremos intereuntem
Inde fit, ut rarò, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva ſatur, reperire queamus.

Serm. L. I. Sat. 2. ỷ. 108.
Tranſvolat in medio poſita & fugientia captat
Nonne cupidinibus ſtatuit natura modum, quem
Quid latura ſibi, quid ſit dolitura negatum,
Quærere plus prodeſt, & inani abſcindere ſoldo
Examinat, mortiſque metu ſibi parcere cupit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Absterrent vitiis . . . .

diculum videri ſolet, quicquid abhorret à moribus noſtris. Cui vitio medetur, alienorum inſtitutorum contemplatio, noſtrorumque attentum examen; Etenim qui laudari ab his, quæ culpantur ab illis obſervat, colligit de rebus, non ex hominum ſententiis diſcrepantibus, ſed ex earundem attentâ conſideratione judicandum.

2. Q. Quæ vis ſeceſſûs in Imaginatricem Facultatem?

Seceſſus effecta.

R. Vis imaginatrix ſeceſſû torpet; Nec in ſolitudine, ac ſecum unicè, vitæ partem maximam agentibus, ideas offerre ſolet, ea celeritate & eo numero, qui ad electionem facilem & tutam requiritur: Nam quò plures ideæ Menti ſe ſiſtunt, modò non conturbetur multitudine, eò faciliùs atque certiùs, quæ rei, quam tractat, convenientiſſima ſunt, deteget.

3. Q. Qualis eſſe ſolet eorum imaginatio, qui negotia tractant?

Negotioſæ vitæ emolumenta.

R. Iſti, *Primò*, fœcundiorem atque in percipiendis & excitandis ideis, celeriorem acquirere ſolent, & vegetiorem imaginationem. *Secundò*, rem penſitandam in plures partes verſant! Nam

Nam qui negligentiùs id faciunt, eò frequentiùs hallucinantur, & de ſuis hallucinationibus, ex præpoſtero ſucceſſu manifeſtè convincuntur, cùm circa merè theoretica deceptis, non occurrat, undè tantâ cum evidentiâ de erroribus ſuis admoneantur. *Tertiò*, habent & hanc prærogativam, quòd contradictionibus minùs irritentur, oppoſitiones modeſtiùs ferant, iis utpotè magis aſſueti, quam qui ſolitariam agunt vitam, ſui tantum comites & mortuorum.

At plerumque evenit, ut ſpeculationibus minùs delectentur, quàm ut propoſitionibus ſpeculativis contemplandis requiſitam moram, attentionemque debitam adhibere velint. 4. Ejuſdem incommoda.

Q. Quid igitur faciendum eſt?

R. Utrumque vitæ genus conjungere oportet, alterniſque vicibus, nunc ſeceſſum quærere & ſolitariis meditationibus operam dare nunc cum cœteris verſari hominibus, eos conſulere, audire, eorumque negotiis aliquatenus, adeſſe, imò quandoque adminiſtrandis operam dare (*d*). 5. Utrumque genus alternatim ſectandum.

HOR. *Carm. L. II.* 3.

(*d*) Æquam memento rebus in arduis
Serva-

6. Q. Quali gaudere ſolent imaginatione homines infimæ ſortis?

Tenuium imaginatio qualis?

R. Tali, ut lentiùs percipiant, timidiùs judicent. Unde ſibi minùs fidentes, res attentiùs penſitant, atque adeò diſtinctiores comparant ideas.

Cur minus ſolers in illis ſit?

Non rarò tamen evenit, ut illi tenuiores, quaſi ſervituti nâti, nihil ſublime ſapiant; nunquam ultrà ſibi à Potentioribus, quibus ſeſe mancipant, tradita, aſſurgant; nunquam quicquam per ſe, & in ſe, obtutû defixo perpendere ſuſtineant, adeòque imaginationem habeant vocibus confuſis, potius quàm ideis diſtinctis refertam: his de cauſis, minùs ſolicitè examinantibus, minùs acuta, minuſque ſolers acquiritur vis imaginatrix.

7. Q. Qualis contrà ſe habere ſolet imaginatio eorum, qui Opibus atque Potentia eminent.

Potentium virtutes.

R. In iſtis ineſt major Fortitudo, Menſque eorum quaſi orbuſtior; minùſque

Servare mentem; non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli,
Seu mœſtus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos

nùsque trepidans; Vera an falſa, à Præceptoribus ſibi tradita fuerint, perpendere audaciùs ſuſtinet: Nec in Judicem Magiſtrorum ſeſe erigere veretur.

At dum tanti ſe faciunt, quanti 8.
ſe fieri ab aliis vident, eamque de Et vitia.
ſe ſententiam reverà fovent, quam ſimulant alii; In eam ſenſim mentem deveniunt, ut quantùm dignitate, tantùm etiam ingenii acumine, cæteris ſeſe ſuperiores reputent: Hinc, levitas in examinando; hinc, ira in contradicentes; hinc, pertinacia in ſententiis tuendis; hinc impatientia. Hos videas indignari, ſi quæ ipſi dicunt non pro oraculis ſuſcipiantur.

Q. His vitiis, qua ratione ſeſe exuent? 9.

R. Cogitent ſe Veritatis eſſe diſci- Remedia
pulos, aliosque à ſe habendos, tan- eorum.
quàm quod verè ſunt, condiſcipulos ejus, quæ nullis magis quàm modeſ-

C tis

Feſtos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni:
Quò pinus ingens, albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

tis & ſedatis Mentibus conſpiciendam ſeſe permittit.

10. Habituũ definitio. Q. Quid intelligis per habitus (*e*)? R. Diſ-

Hor. *Carm. L. III.* 29. ℣. 9

(*e*) Faſtidioſam deſere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes ſtrepitumque Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices'
Mundæque parvo ſub lare pauperum
Cœnæ, ſine aulæis & oſtro,
Sollicitam explicuere frontem.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus:
Ridetque. ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur.
Ille potens ſui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixiſſe, vixi, cras vel atra
Nube polum, Pater, occupato,
Vel ſole puro:
Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro.
Nulla certior tamen

Rapa-

R. Diſpoſitiones, iteratis actibus inductas & confirmatas, quæ ad judicium flectendum, perceptioneſque varian-

Rapacis Orci ſede deſtinata
Aula divitem manet
Herum quid? ultra tendis & quæ tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris.
Diveſne priſco natus ab Inacho,
Nihil intereſt, an pauper, & infima
Degente, Sub dio moreris,
Victima nil miſerentis Orci.

Hor. *Serm. L. I.*

Purus & inſons
Si vivo & carus amicis
Cauſa fuit pater his: macro qui pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere,
Sed puerum eſt auſus Romam portare docendum,
Artes quas doceat quivis eques atque Senator
Semet prognatos.
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat: quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honor) ſervavit ab omni
Non ſolum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nil me pœniteat ſanum patris hujus: eoque
Non, ut magna dolo factum negat eſſe ſuo
pars

variandas plurimùm valent, dùm naturæ & habituum, qui ſecunda Natura

tura

Quod non ingenuos habeat claroſque parentes,
Sic me defendam, longe mea diſcrepat iſtis
Et vox & ratio, nam ſi Natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere, ad faſtum quoſcumque parentes
Optaret ſibi quiſque; meis contentus, honeſtos
Faſcibus ac ſellis nollem mihi ſumere; demens
Judicio vulgi, ſanus fortaſſe tuo; quod
Nollem onus, haud unquam ſolitus, portare moleſtum.
Nam mihi continuò major quærenda foret res.
Atque ſalutandi plures; ducendus & unus
Et comes alter, utine ſolus, ruſve peregreve
Exirem
Nunc mihi curto
Licet ire mulo, vel, ſi libet, uſque Tarentum;
Quacumque libido eſt,
Incedo ſolus: percunctor quanti olus ac far.
Fallacem circum, veſpertinumque pererro
Sæpe forum: adſiſto divinis: inde domum me
Ad porri & ciceris refero laganique catinum.

tura ſunt, inclinationes lubentiùs ſequimur quam Rationis ductum.

Q. Qui

Cœna miniſtratur pueris tribus; & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet; adſtat Echinus
Vilis cum patera guttus, campana ſuppellex
Deinde eo dormitum, non ſollicitus, mihi quod cras
Surgendum ſit mane.
Ad quartam jaceo, poſt hanc vagor, aut ego lecto,
Aut ſcripto quod me tacitum juvet: ungor olivo,
Hæc eſt
Vita ſolutorum miſera ambitione gravique
His me conſolor, victurus ſuavius, ac ſi
Quæſtor avus, pater atque meus patruuſque fuiſſent.

Epiſtol. L. I. 18.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi;
Sedatum celeres, agilem gnavumque remiſſi;
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula.
Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum,

11. Habituũ effectus.

Q. Qui habituum ſunt Effectus?

R. Solitis minus, inſolitis verò maxime afficimur; Unde ſi delectant, jucundiora quidem videntur, & attentionem alliciunt, ſi verò premant, graviora ſunt, avertuntque attentionem. Crebra repetitio aſſuefacit paulatim animum admittendis iis quæ ſemel prolata, aut rejeciſſet aut prætermiſiſſet, cùmque hominum plerique ſolis attendant verbis, ubi familiaria uſu effecta fuerunt, iis ſecurè tanquàm compertis adhærent, concluſio præſertim ſi arrideat. Hæc eſt prætereà vis habituum in imaginationem, ut ad formam eorum, quæ ſibi

Ne te ſemper inops, agitet vexetque cupido,
Ne pavor, & rerum mediocriter utilium ſpes:
Virtutem doctrina paret, Naturave donet?
Quid minuat curas? quid te tibi reddat amicum?
Quid purè tranquillet; honos, an dulce lucellum,
An ſecretum iter, & fallentis ſemita vitæ?
Sit mihi quod nunc eſt, etiam minus: ut mihi vivam
Quod ſupereſt ævi, ſi quid ſupereſſe volunt Di:

Sit

ſibi familiaria ſunt, imaginatio ferè omnia exigat, exiguamque ſimilitudinem omnimodam eſſe fingat.

Q. Noxii iſti effectus, quâ ratione cohibendi? 12. Quâ ratione compeſcendi.

R. Ne nobis inſolitorum vehementia imponat, eſt aſſenſus quamdiu inſolita ſunt, cohibendus, judiciumque ſuſpendendum, & ſubinde à nobis quærendum, qualis ſit futura noſtra de talibus idea, poſtquam longiore uſû familiaria effecta fuerint; Vice verſâ ne quibus aſſueti ſumus, familiaritate nos decipiant, ea tanquàm ſi primùm proponerentur ſunt excutienda.

Q. Quæ

Sit bona librorum & proviſæ frugis in annum
Copia: neu fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.
Sed ſatis eſt orare Jovem, qui donat & aufert
Det vitam, det opes; æquum mî animum ipſe parabo.

Epiſt. L. I. 8.

Subinde

Præceptum auriculis hoc inſtillare memento
Ut tu fortunam, ſic nos te, Celſe, feremus.

C 4

13. Habituũ utilitas.

Q. Quæ utilitas maxima poteſt parari, ab habitibus?

R. Quæ cognoveris profutura, frequenti meditatione menti ſic ſunt infigenda, ut in habitum convertantur; quod imprimis obſervandum circa

Hor. *Epiſtol. L. I.* 14.

(*f*) Rure ego viventem, tu dicis in Urbe, beatum.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus, uterque locum immeritum cauſſatur iniquè.
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit umquam.
Non eadem miramur: eò diſconvenit inter
Meque & te: nam quæ diſerta & inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat, mecum qui ſentit, & odit,
Quæ tu pulchra putas.
Non vicina ſubeſt vinum præbere taberna
Quæ poſſit tibi.
Cœna brevis juvat, & prope rivum ſomnus in herba.
Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat, non odio obſcuro, morſuque venenat,
Rident vicini glebas & ſaxa moventem.
Cum

ca Regulas; eas quippe ſemel intellexiſſe parùm eſt; familiares ſint oportet: & ita menti præſentes, ut occaſione data, & ubicumque opus eſt, illicò ſe ſiſtant citraque ullum laborem in memoriam revocentur (*f*).

CAPUT

Cum ſervis urbana diaria rodere mavis;
Horum tu in numerum voto ruis;
Optat ephippia bos piger: optat arare caballus.
Quam ſcit uterque, libens, cenſebo, exerceat artem.

Hor. *Ep. I.* 1.

Non eadem eſt ætas, non mens
Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem;
Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat
Nunc itaque & verſus & cætera ludicra pono;
Nullius addictus jurare in verba magistri;
Quo me cumque rapit tempeſtas deferor hoſpes,
Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles;
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor;
Et mihi res, non me rebus, ſubmittere conor.

CAPUT VII.

De Voluntatis *Motibus.*

1\. Facultates activæ Logicæ objectum.

Q. CUr de activis facultatibus Logico dicere incumbit?

R. Quia Mens ſe ſe, ipſa ad attentionem excitare debet, ut facultatibus, juxta poſitas obſervationes, utatur.

Q. Sed cùm *Velle* penes Nos poſitum ſit; nonne ſatis eſſet, ſemel atque obiter Mentem monere, ut velit ſe ſe ad Regularum præſcriptum componere?

2\. Et quidem ſedulo expendendum.

R. Minimè; Ea etenim ſæpè occurrunt, quæ ut velit, Mens à ſe artificiis veluti quibuſdam, impetrare atque extorquere, opus neceſſariò habet.

Q. Nonne igitur, omnia pari lubentiâ volumus?

3\. Voluntatis triplex differentia.

R. Non, ſed velle noſtri non alia quandoque videtur cauſâ, præter ipſam voluntatem; ut ſi me utramque manum claudente, & tibi pollicente nummum, in altera contentum, modò

dò feliciter caderet conjectura tua in eam quæ nummum contineret; ſiniſtram cùm nominares; quæ alia cauſa, Siniſtræ nominatæ, potiùs quàm Dextræ foret, niſi ipſa tua prorſus arbitraria electio? Siniſtram dixiſſes quia voluiſſes; ipſa ſe ſe voluntas, non aliundè, ſed unicè ipſa ſe, ex ſe determinaſſet. Aliquando verò inducimur ad volendum argumentis, & luce quâdam Idearum noſtrarum, ſic pergere volumus in inſtituto, inducti perceptá atque ſperata utilitate. Aliquando denique inclinant nos ad volendum motus obſcuriores, & à luce Idearum diverſi; Iſtique duplicis ſunt generis, alii leniores, alii commotionis vehementioris. Priores *Inclinationum*, *propenſionum* nomine veniunt. Poſteriores Affectus *Pertubationes*, *Paſſiones* appellari ſolenr.

Q. Inclinationum noſtrarum, quæ nam potentiſſima, maximèque Univerſalis extat? 4. Fœlicitatis cupido, inclinationum prima & potentiſſima.

R. Ea quâ contendit ad Fœlicitatem; Nam Mens humana nunquam non vult eſſe beata, idque omnium ſuorum motuum primum mobile eſt.

Q. Sed tâm naturalis, tàm neceſſaria, tamque invincibilis propenſio nonne ſemper probanda?

5. Cur obſit. R. Eſt in ſe, fateor, quamvis vitiò noſtrô ſæpè fiat, ut ab eâ tranſverſi agamur. Dum enim perpetuâ & præpotenti inclinatione, Mens anhelat ad Fœlicitatem, nec facilè hæret niſi iis quibus jucundo ſenſû beatur, laborem fugit, attentionis contentionem ut moleſtam declinat, ipſaque conceptuum ſuorum perfectioni obeſt; nam eô perfectior ſolet eſſe idea, quò huic formandæ mens noſtra magis applicatur. Inde fit igitur, ut ea quorum comprehenſio operoſior eſt, & intelligentia intricatior, aut contemplatio minùs per ſe jucunda, vel prorſùs mittat, vel leviter tantùm attingat.

6. Principia negliguntur. Q. Exemplis vellem iſta declares?

R. Inde eſt, verbi cauſâ, quod ſcientiarum principia, quia nihil ferè habent quòd admodum placeat, confuſè percepiſſe & delibaſſe contenti, ad quæſtiones quæ delectant, vel quia curioſitatem excitant, vel quia ſenſibile quippiam includunt, præcipitantur properant, fundamentis, quibus talium

talium ſolutio innititur, nec aptè poſitis, nec accuratè firmatis, imò ipſis illis, quæ placent quæſtionibus & quæ delectant, minùs accuratè diſcuſſis, quòd ab accuratâ diſcuſſione, ut operoſâ & moleſtâ, ſuperſedeant.

Eâdem de cauſa, fugâ, ſcilicet laboris, eorumque amore, quæ mirâ quâdam ſpecie fulgent, & vehementiùs afficiunt, fit, ut Mens humana *Figmenta* ſæpè amplectatur, iiſque lubens acquieſcat; *Spiritum* verbi gratiâ, *Univerſalem*, *principium archæum.* qui ſemel poſuit, ille & mirum quoddam perſuaſit ſibi (mira autem delectant) & ſimul ab inquirendi ſingulorum Corporum Mechaniſmi moleſtia ſe ſe liberavit. 7. Figmenta acmittuntur.

Q. Quibus utendum cautionibus ne à Labore ita deterreamur. 8. Incentiva ad attentionem etiam laborioſam.

R. Reputandum. *Primò*, ea ſæpius omitti atque rejici, tanquàm operoſa nimis, quæ conjunctim ſpectata, ardua quidem videri ſolent, in partes verò diſtributa, facilia maximè deprehenduntur. Reputandum *Secundò* eſt, atque animo altè infixum indeſinenter verſandum, non ſimpliciter felicitati in hoc ſæculò jucundô ſenſu, fruendæ,

dæ, ſed anxio etiam labore, dum vivit proſequendæ, hominem natum. Cogitandum *Tertiò*, nos naſci in tenebris propenſoſque in errores atque vitia; depravato inſuper ortui pejorem ſæpè ſuccedere educationem: Quid ergò abſurdius, quàm velle ut Veritas blanda & amica, nobis occurrat, quæ innatis atque adſcititiis diſpoſitionibus potiùs adverſatur.

9. Voluntatis irrequieta motio. Q. Inclinationis illius ſunt ne plures effectus corrigendi atque præcavendi?

R. Imò nam Mens felicitatem perpetuò quærens, ſed nondum ſecundum vota conſequens, habitum contrahit irrequietæ motionis, quâ fit, ut in inquirendo ſemper vagetur, gradum ſiſtere neſciat, ſibi impervia ſcrutetur, & ultra principia & quæ prima ſunt, quandoque tendat; ſic ſunt qui Divinæ Voluntatis, quæ omnium prima cauſa eſt, cauſas poſtulent, & ſtultâ temeritate rimentur.

10. Philautia. Et quia nunquam menti meliùs eſt, quàm cùm ſibi maximè plaudit, fit ut omnia ſua nimiùm amare atque probare aſſueſcat. Neminem cognoviſſe Poëtam qui ſibi non optimus videretur,

tur, dicebat Cicero. Non vides addebat quàm blanda conciliatrix & quaſi ſui lena ſit natura. Cui vitio præcavendo, audiendi ſunt cæteri, inventaque propria ſeponenda, temporeque intermiſſò, quaſi aliòrum eſſent cogitata, excutienda.

Q. Sed Beatitudinis illa vaga & perpetua cupido, nonne in plures ſeſe diffundit

R. Imò, ſectamur quippè voluptates, quorum ſenſû beamur; Opes quibus parantur; quærimus & potentiam, quâ hæc omnia tueamur, quæque excelſâ ſpecie, ipſa iucunda eſt, quæ certè omnia veritatis cognitioni maximè officiunt; Mens quippe finita eſt, nec certò genere cogitationum affecta, ad aliud genus facilè converti poteſt. A teneris igitur ſpirituales noſcamus delicias, quarum ſolidam animumque perfundentem perceptionem titillantibus illis atque levioribus, quæ ab externis ſenſibus manant, gaudiis, opponamus (*g*).

II. Propendemus in voluptates, Opes, & Gloriam.

Q. Pro-

HOR. *Carm. L. II. Od. XVI.*
(*g*) Non enim gazæ neque conſularis
Summovet miſeros tumultus
Mentis,

Q. Propenſionum illarum vis, an ſemper eadem?

R. Non,

Mentis, & Curas laqueata circum
Tecta volantes
Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.
Nec leves ſomnos timor, aut cupido
Sordidus aufert
Scandit æratas vitioſa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare, & amara læto
Temperet riſu: nihil eſt ab omni
Parte beatum.

L. III. Od. XVI.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Late conſpicuum tollere verticem
Mecœnas, equitum decus.
Quanto quiſque ſibi plura negaverit
A Dis plura feret: nil cupientium
Nudus caſtra peto; & transfuga divitum
Partes linquere geſtio.
Contemptæ Dominus ſplendidior rei
Quàm ſi quicquid arat non piger Appulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ ſylvaque jugerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit ſorte beatior.

Ser-

R. Non, ſed accedente perturbationum æſtû longè evadunt vehementiores & periculoſiores. 12. Vis major affectuum

Q. Quo-

Sermon. L. II. Satyr. II.

Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? Grandes rhombi patinæque
Grande ferunt unà cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et fruſtra mortis cupidum, cùm deerit egenti
Æs, laquei pretium. Jure, inquis, Traſius iſtis
Jurgatur verbis: ego vectigalia magna,
Divitiaſque habeo tribus amplas regibus. Ergo
Quod ſuperat, non eſt meliùs quò inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur improbe caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum rectè tibi ſemper erunt res?
O magnus poſt hac inimicis riſus! uterne
Ad caſus dubios, fidet ſibi certius? hic qui
Pluribus adſuerit mentem corpuſque ſuperbum;
An qui contentus parvo, metuenſque futuri

In

Q. Quomodo perceptiones turbant & corrumpunt?

13. Iidem affingunt objectis. R. Quia homines, cùm ſeſe ament, ſibique idcircò facilè perſuadeant, ſe in eo ſtatu verſari, in quo ut ſint maximè æquum eſt, ſuas perceptiones ita diſponunt, ut affectui quò commoventur, maximè conſentiant: eaque ſola Mens *Affectû* occæcata, in objectis quærit, quæ motibus, quibus mancipata eſt, conveniant à cæteris omnibus aciem averti.

Q. Vellem præcipuos *Affectus*, ſigillatim excuteres

14. Affectus præcipui. R. Magna *mirantur*, Bonæ quæ videntur *Amamus*. Mala *adverſamur*. Quibus

In pace, ut ſapiens, aptarit idonea bello.
Sæviat, atque novos miſceat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? Quanto aut ego parcius aut vos
O pueri, nituiſtis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum Natura neque illum
Nec me, nec quemquam ſtatuit; nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris;
Poſtremum expellet certè vivacior hæres.
Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Ofelli
Dictus

Quibus caremus, & frui benè eſſet ea *deſideramus.* Hi ſunt affectus potiſſimi, & undè cæteri vim ſuam deſumunt; Quem iſti non decipient, ei non alii facient fucum.

Q. Admiratio nonne ſuam habet utilitatem?

R. Habet & maximam, nam & inveſtigandi ardorem incitat, qui ardor dexteritatem auget, & laborem facit longè leviorem; ſuavis quippe eſt ipſa per ſe, quæque admiramur, eorum cognitio ſummè delectat. 15. Admirationis utilitas.

Q. An huic utilitati vitia quædam contrà ponderant? 16. Ejuſdem vitia.

R. Certè nam ſi nimia fiat, promiſcua

Dictus, erit nulli proprius, ſed cedet in uſum
Nunc mihi, nunc alii: Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.
De Arte Poët.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere.
Ad hæc animos ærugo & cura peculi
Cum ſemel imbuerit, ſperemus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & lævi ſervanda cupreſſo.

cua curioſitate, in quibusvis admirandis defigimur. Quod ſi ad venerationem uſque provehatur, tunc non modò rem eam, quam veneramur; ſed quæ-

Hor. *Ep. L. I. Ep. 6.*

(h) Nil admirari prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum
Hunc ſolem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nullâ
Imbuti ſpectent. Quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis, & Indos?
Ludicra, quid, plauſus, & amici dona Quiritis,
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis, & ore?
Qui timet his adverſa, ferè miratur eodem
Quo cupiens, pacto; pavor eſt utrobique moleſtus;
Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatve, quid ad rem?
Si, quicquid vidit melius, pejuſve ſuâ ſpe,
Defixis oculis, animoque & corpore torpet?
Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Ultra quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.
I nunc, argentum, & marmor vetus æraque & artes

Suſci-

quæcunque rem illam circumſtant, eô venerationis & approbationis gradû, quô digna non ſunt, ſuſcipimus (h).

Adeò-

Suſcipe, cum Gemmis Tyrios mirare colores,
Quicquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas,
Defodiet, condetque nitentia. Cum benè notum
Porticus Agrippæ, & via te conſpexerit Appî,
Ire tamen reſtat, Numa quò devenit & Ancus.
Si latus, aut renes morbo tententur acuto,
Quære fugam morbi: Vis rectè vivere? quis non?
Si virtus hoc una poteſt dare, fortis omiſſis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter;
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.
Mille talenta rotundentur totidem altera, porro
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadret acervum.
Et genus, & formam Regina pecunia donat:
Exilis domus eſt, ubi non & multa ſuperſunt,
Et Dominum fallunt, & proſunt furibus. Ergo
Si res ſola poteſt facere, & ſervare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc poſtremus omittas

Si

17. Remedia. Adeòque examen veneratio ſequatur, non præveniat; admiratio equidem acuit mentem, incitatque ad examinandum; quod ſi objectum, uti par eſt, examinatum, dignum videatur admiratione, quam excitavit, aut etiam majore, tùm Mens ei ſeſe tradere poteſt.

18. Reliquorum affectuum nævi. Q. Perge nunc ad reliquos affectus?

R. Mens quæ rei alicujus amore aut odiô tenetur, præpedita relatione objecti erga ſe, id non valet, ut in ſe eſt contemplari. Officiunt pariter perceptioni cupido atque metus; nam qui vehementer cupit, examinare & excutere non vult, ne deprehendat quæ diſpliceant & cupiditati obſiſtant; Qui vehementer timet fugit pariter examen, quod attentionem ſuam in moleſta & timorem incutientia defixam tenere non audeat. Plura multò

Si benè qui cœnat; bene vivit: lucet; eamus
Quò ducit gula; piſcemur, venemur.
Crudi, tumidique lavemur
Quid deceat, quid non, obliti: Cerite cerâ
Digni, remigium vitioſum Ithacenſis Ulyſſei,
Cui potior patriâ fuit interdicta voluptas.

tò homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut alia permotione mentis quam veritate.

Affectus ſedandi antequam adhibeatur examen, amicitia debet eſſe ſuſpecta & mnltò magis inimicitia. In homine nihil majorem veniam moretur quàm decipi, nec majori ingenii laude quicquam fit quàm errorem corrigere. A regulis contra errores Intellectum munientibus ſe nunquam receſſiſſe, quis ſibi ſpondere auſit?

Q. Quibus ergò te munitum præſtabis, adverſus illos affectus, remediis?

R. Mihi cavebo ab iis, quibus maximè capior (i), & ſi quæ averſer, ea majori cautelâ atque circumſpectione examinabo; Ne amore præoccuper, cogitabo Maximorum Virorum, maximos fuiſſe lapſus; ne odiò tranſ- 19. Remedia.

Hor. *Serm. L. I. S.* 3. ✝. 24.

(i) Stultus & improbus hic amor eſt, dignuſque notari.
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum.
Quàm aut Aquila aut Serpens Epidaurius?
At tibi contra Evo-

tranſverſus agar, involuntariè unumquemque labi reputans peccantes miſericordiâ proſequar, nec quemquam à

Evenit, inquirant vitia ut tua rurſus & illi
Denique te ipſum
Concute; num qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.
- - - - - - amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Declectant
Vellem in amicitiâ ſic erraremus, & iſti
Errori nomen virtus poſuiſſet honeſtum.
At, Pater ut gnati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit vitium, non faſtidire.
Parcius hic vivit? frugi dicatur. Ineptus
Et jactantior hic paulò eſt? concinnus amicis
Poſtulat ut videatur. At eſt truculentior, atque
Plus æquo liber? ſimplex, fortiſque habeatur.
Caldior eſt? acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res & jungit, junctos & ſervat amicos
At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare. Probus quis
Nobiſcum vivit? multum eſt demiſſus homo: illi Tar-

à Deo veritatiſque luce ſic deſertum exiſtimabo, ut veritati vel fortuitò reperiendæ impar ſit. Superbæ ſtultitiæ

Tardo, cognomen pinguis damus. Hic fugit omnes
Inſidias, nullique malo latus obdit apertum,
Cum genus hoc inter vitæ verſetur, ubi acres
Invidiæ, atque vigent ubi crimina; pro bene ſano,
Ac non incauto, fictum, aſtutumque vocamus.
Quàm temerè in noſmet legem ſancimus iniquam!
Nam vitiis ſine nemo naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum eſt,
Cum mea compenſet vitiis bona, pluribus hiſce,
(Si modò plura mihi bona ſunt) inclinet, amari,
Si volet: hàc lege in trutinâ ponetur eadem.

Serm. L. I. S. 2. ỳ. 86.

Regibus hîc mos eſt; ubi equos mercantur, opertos
Inſpiciunt: ne, ſi facies, (ut ſæpè) decora,
Molli fulta pede eſt, emtorem indicat hiantem,
Quòd pulchræ clunes; breve quod caput, ardua cervix,
Hoc illi rectè.

titiæ perſeverantia eſt, *quod ſemel dixi, qualecumque eſt, hoc fixum ratumque ſit.*

Huic proxima ſtultitia, à bene inventis alicujus recedere, ſi quo in vitio ejus offendamur, aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bono præcepto doceremur.

Beatus eſt, *inquit Plato*, cui etiam in ſenectute contigerit, ut Sapientiam veraſque opiniones aſſequi poſſit.

HOR. *Epiſt. I. L. 2.*

Vel quia nihil rectum niſi quod placuit ſibi ducunt
Vel quia turpe putant parere minoribus & quæ Imberbes didicere, Senes perdenda fateri.

CICERO *de Natura Deorum.*

Vobis Epicureis minus notum eſt quemadmodum quoque dicatur. Veſtra enim ſola legitis, veſtra amatis, cæteros, causâ incognitâ condemnatis. Salem iſtum in irridendis nobis nolite conſumere, & ſi me auditis, ne experiamini quidem. Non decet, non datum eſt, non poteſtis.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Attentione & Diligentia.

Q. QUæ hactenus expoſuiſti, quàm ſit neceſſaria attentio omnia demonſtrant, nocent quippe aut juvant affectus, prout attentionem roborant vel diſtrahunt.

1. Attentionis neceſſitas.

R. Rectè mones, attentionem neceſſariam imprimis eſſe, nam eſt Intellectûs quaſi viſûs ratio; quod diſtinctè videri cupit, id non in tranſcurſu tantùm aſpicere, ſed conſiſtens fixis oculis intueri debet (k).

Q. Qui-

(k) HOR. *Serm. L. II. S. III.*

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer. Vitanda eſt improba
Siren
Deſidia; aut quidquid vita meliore paraſti,
Ponendum æquo animo.
malè re geſta, cum vellem mittere operto.
Me capite in flumen, dexter ſtetit: & cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit te malus urget
Inſanos qui inter vereare inſanus haberi.

 Pri-

Q. Quibus maximè, motivis mens flectitur, ut attendere velit?

R. Qui

Primùm nam inquiram, quid ſit furere. Hoc ſi erit in te
Solo; nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala ſtultitia, & quæcunque inſcitia veri
Cæcum agit, inſanum Chryſippi porticus & grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges
Excecepto ſapiente, tenet. Nunc accipe quare
Deſipiant omnes, æquè ac tu, qui tibi nomen
Inſana poſuëre. Eſt genus unum
Stultitiæ nihilum metuenda timentis: ut ignes,
Ut rupes, fluvioſque in campo obſtare queratur:
Alterum & huic varium, & nihilo ſapientius ignes
Per medios, fluvioſque ruentis.
Audire, atque togam jubeo componere, quiſquis
Ambitione malâ, aut argenti pallet amore;
Quiſquis luxuria, triſtive ſuperſtitione,
Aut alio mentis morbo cadet: huc propiùs me
Dum doces inſanire omnes, vos ordine adite

Danda

R. Qui attentionis adeò neceſſariam virtutem, ſibi parare cupit; is primò cogi- Motiva ad attentionem.

Danda eſt ellebori multo pars maxima avaris:
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.
- - - - - - - Quid ergo
Senſit, cùm ſummam patrimoni inſculpere ſaxo
Hæredes voluit? Quod vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium & cavet nihil acriùs, ut ſi
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior. Omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulcris
Divitiis parent: - - - - -
- - - - - Quid ſimile iſti
Græcus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum
In media juſti Libya, quia tardius irent
Propter onus ſegnes. Uter eſt inſanior horum?
Nil agit exemplum litem quod lite reſolvit.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum
Nec ſtudio citharæ, nec Muſæ detitus ulli
delirus & amens
Undique dicatur meritò quid diſcrepat iſtis,

cogitet in genere, Mentem nunquam errare niſi inattentam; cogitet inſuper,

Qui nummos aurumque recondit, neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?
Dis inimice ſenex cuſtodis? ne tibi deſit?
- - - - - quare,
Si quidvis, ſatis eſt, perjuras, ſurripis, aufers
Undique, tun' ſanus.
Quid? ſi quis non ſit avarus:
Continuò ſanus? Minimè. Cur Stoïce? Dicam
Non eſt cardiacus, (Craterum dixiſſe putato)
Hic æger. Rectè eſt igitur, ſurgetque? Negabit.
Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non eſt perjurus, neque ſordidus: immolet æquis
Hic porcum Laribus. Verum ambitioſus & audax:
Naviget Anticyram. Quid enim differt, baratrône
Dones quidquis habes, an numquam utare paratis?
Ludere par, impar, equitare ex arundine longa.
Si quem delectat barbatum, amentia verſet.
Si puerilius his ratio evincet amare:
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus Quare

per, unô errore admiſſô quot eidem ſuperſtruantur. Reputet deinde vitia, con-

Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quærô, faciaſne quod olim
Mutatus Polemon? ponas inſignia morbi, potus ut ille
Dicitur rex collo furtim capſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce Magiſtri.
Porrigis irrato puero cum poma, recuſat.
Sume, Catelle; negat. Si non des, optat amator
Excluſus quî diſtat: agit ubi ſecum, eat, an non
Hæc mihi ſtertinicius, ſapientum octavus, amico
Arma dedit, poſthac ne compellarer incultus.
Dixerit inſanum qui me, totidem audiet, atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.
Stultum me fateor, (liceat concedere veris)
Atque etiam inſanum: tantum hoc ediſcere quo me
Ægrotare putes animi vitio. Accipe: primum
Ædificas; hoc eſt longos imitaris ab imo
Ad ſummum totus, moduli bipeladis;
Jam deſine. Cultum
Majorem cenſu. Teneas Damaſippe tuiſte.

contemptum, lapſus, pœnitudines ſeras, & non raró exitium irrevocabile, erroris comites eſſe. Objecti denique penſitandi conſideretur pretium ejuſque cognoſcendi utilitas; atque ejus generis rationibus, curioſitas, æmulatio, admiratio excitentur. Et quia accuratiùs & attentius in iis verſari ſolemus, unde manat aliqua voluptas, attentionis moleſtum laborem levaturus & mitigaturus, in mentem ſubinde revocet, quàm ſuaviſſima ſit ea delectatio, quæ veri indubitatam cognitionem comitari ſolet.

3. Qualis relatè ad gloriam debeat eſſe Philoſophus.

Q. Nonne eundem laborem, gloriæ cupiditas levem iterum præſtabit?

R. Haud dubiè, nam ut unuſquiſque exiſtit animò maximè excelſô, ita maximè gloria tangitur, & ad magna contendit.

Q. Sed ſunt, qui hunc affectum planè extinctum cuperent?

4. Gloriæ viget amor, in præclarâ indole, &i ndole donatis.

R. Non prorsùs iis aſſentior, cùm nihil contineat, quod non ſit honeſtum, ſi cùm virtutis & veritatis amore ſit conjunctum, ſi ſpectetur gloria & ametur tanquàm præmium virtutis, mediumque, quô aliis magis prodeſſe poſſumus, nec ultra quàm meriti ſumus,

ſumus, eam ambiamus; quemadmodum artifex, mercedem poſcere non debet, quæ pretium operis ſuperet.

Q. Fatearis tamen oportet, tali affectû pleroſque tranſverſos agi?

R. Adeoque huic in gloriam propenſioni ac inclinationi præponderet veri inveniendi amor; Reputemus quantùm ſuave ſit deliciari, propter verum inventum; quamque honeſta meritò talis habeatur voluptas, tantundem turpe cenſeatur atque probroſum, gloriari ob errores admiſſos. Qui ſive cogitet, ſive loquatur, ſive agat, ceteriſque hominibus, vera docere præ ſe ferentibus attentam præbeat aurem, eum in finem facultates omnes exercet ſuas, ut à Deo, ſupremo ſuo & adorando Domino, probetur, ab eodem ipſo Beneficentiſſimo & Potentiſſimo juvetur & dirigatur, in eum ut Autorem primarium quicquid in ſe experitur boni & quicquid à ſe emanat recti, gratiſſimo animo refundat, ſe ab hominibus laudari lætus obſervans, utiliorem ipſis ſe futurum, ſocioſque eo ſe habiturum in laudibus ſummi omnium conditoris celebrandis, indè conjiciens: ſin- 4. Ne noceat ille amor cautiones

cero cum mentis applauſu quicquid boni continent, & quicquid recti agunt, animadvertens, & non ſecus, ac ſi ſua forent; gratias optimo hominum parenti, ſanctiſſimoque agens. Is demùm, verâ Gloriæ ideâ illuſtratus, ei ſic adhæret, ut per eam in veri & recti vias inductus & confirmatus, ab externæ gloriæ, laudiſque humanæ illecebris atque periculis tutus, in emolumentum ſuum, quod cæteris plerumque nocere ſolet, aſſiduè vertat (1).

Q. Non-

Hor. *Carm. Lib. IV. Od.* 9. ℣. 25.
(1) Vixere fortes ante Agammemnoſa
Multi; ſed omnes illachrimabiles,
Urgentur, ignotique longâ
Nocte, carent quia vate ſacro.
Paulùm ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.
Eſt animus tibi
Rerumque prudens; & ſecundis
Temporibus dubiiſque rectus:
Vindex avaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ;
Conſulque non unius anni
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honeſtum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, & per obſtantes catervas
Explicuit ſua victor arma.

Q. Nonne ipſa ſtudiorum ratio, atque methodus attentionem formare poteſt ?

R. Omninò & *Primò*, quoniam conſuetudinis vis maxima eſt, aſſueſcas nihil unquam inattentè nec legere, nec audire, nec tecum reputare. Quieſcas prorsùs, ſatiùs eſt, recreationis gratiâ, quàm oſcitanter legendo tempus terere: habitus quippe raptim & inattentè legendi citiùs & faciliùs contrahitur, quàm habitus meræ inertiæ, & totalis deſidiæ; cùm Mens huma- 6. Ratio ſtudendi attentionem roborat.

D 6

Hor. *Serm. L. I. S.* 4. ♈. 73.

Neu recitem cuiquam, niſi amicis idque coactus
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi.

Hor. *Epiſt. L. II. Ep. I.*

Geſtit enim nummum, in loculos dimittere poſthac
Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.
Quem tulit ad ad ſcenam ventoſa gloria curru
Examinat lentus ſpectatos, ſedulus inflat,
Sic leve, ſic parvum eſt animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, ſi me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.

humana vix prorsùs ceſſare poſſit (m). *Secundò*, habitus attendendi conciliabitur à facilioribus & ſimplicioribus, gradatim ad compoſita procedendo. *Tertio*,

(m) Hoc erat in votis: modus agri non ita
magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquæ
fons
Et paulùm ſylvæ ſuper his foret. Auctiùs
atque
Dî melius fecêre, bene eſt: nihil amplius
oro.
Maja nate: niſi ut propria hæc mihi munera
faxis
Si neque majorem feci ratione malà rem
Nec ſum facturus vitio, culpave minorem:
Si veneror ſtultus nihil horum. O ſi angulus
ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum
O ſi urnam argenti ſors quæ mihi monſtret!
Si quod adeſt gratum juvat, hac prece
te oro,
Cuſtos mihi maximus adſis
Unde homines operum primos vitæque labores
Inſtituunt, (ſic Diis placitum) tu carminis
eſto
Princîpium.
O rus quando ego te aſpiciam? quandoque
licebit Nunc

Hor. *Lib. II. Sat. VI.*

Tertiò, conciliabitur per ſtudium Matheſeos, nam eô acrior excitatur attentio, quò magis moleſtum eſt rem de integro texere, ubi per oſcitantem atten-

Nunc veterum libris, nunc ſumno & inertibus horis
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ?
O Noctes cœnæque Deum: quibus ipſe, meique
Ante Larem proprium veſcor, vernaſque procaces
Paſco libatis dapibus, prout cuique libido eſt
Sermo oritur, non de villis domibuſve alienis:
Nec malè necne lepos ſaltet: ſed quod magis ad nos
Pertinet, & neſcire malum eſt; agitamus: utrumne
Divitiis homines, an ſint virtute beati:
Quidve ad amicitias, uſus, rectumve trahat nos:
Et quæ ſit natura boni, ſummumque quid ejus.
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas.

Epiſt. L. I. 10.

– – – ego laudo ruris amœni
Rivos, & muſco circumlita ſaxa nemuſque
Quid quæris? vivo & regno, ſimul iſta reliqui
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo.

Vive-

attentionem minùs rectè proceſſit. Nulla eſt propoſitio oſcitanter examinanda, attentè omnia facienda ſunt. Quæ incuria in leviorem errorem conjecit, hæc in graviorem deducet.

Q. Quam putas eſſe utilitatem ſimilitudinum, à rebus ſenſilibus deductarum, ad attentionem in ſpiritualia objecta detinendam?

7. Uſus ſimilitudinum.

R. Aliquam, ſed ancipitem, Imaginatio quippe tranſverſim incurrens intellectum turbare ſolet, qui ſuos actus eò liberiùs exercet, quò imaginatio magis feriatur.

Q. Ad attentionem, Circumſtantiæ loci & temporis aliquid conferre cenſes?

R. Cer-

Vivere naturæ ſi convenienter oportet;
Ponendæque domo quærenda eſt area primum
Noviſtine locum potiorem rure beato?
Eſt ubi divellat ſumnos minus invida cura.
Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix
– – – – Non
Certius accipiet damnum, propiuſve medullis
Quàm, qui non poterit vero diſtinguere falſum.
Quem res plus nimio delectavêre ſecundæ,

R. Certè, nam cùm arctis admodùm limitibus vis cogitandi, quæ nobis ineſt, circumſcribatur, ab iis omnibus, quorum conſideratio objecti, in quod inquiritur, cognitionem non promovet, cogitationes ſedulò avocandæ ſunt; ſeceſſus ideo quærendus; tempus etiam eligendum, quô Mens varietate rerum minimùm diſtrahitur, nec multis auditis & viſis turbatur, uti eſt matutinum poſt ſomnum & quietem nocturnam (n). 8. Locus & tempus, ad attentionem conferunt

Q. Vix

Mutatæ quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna; licet ſub paupere tecto
Reges, & regum vita præcurrere amicos.
Qui pauperiem vetitus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus; atque
Serviet æternùm, quia parvo neſciet uti.
Cui non convenit ſua res, ut calceus olim
Si pede major erit, ſubvertet, ſi minor uret.
Lætus ſorte tua vives ſapienter, Ariſti:
Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique.

HOR. *Serm. Lib. I.*

(n) Neque enim, cum lectulus, aut me
Porticus excepit, deſum mihi. Rectius hoc eſt;

Hoc

9. Tranquilitas ad attentionem neceſſaria.

Q. Vix locum tempuſve ſeliges, quod perturbationum ſtrepitum ſedare valeat?

R. Ita

Hoc faciens vivam melius: ſic dulcis amicis
Occurram. Hoc quidem non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Hæc ego mecum
Compreſſis agito labris. Ubi quid datur otî,
In ludo chartis.

Hor. *Epiſt. Lib. I. 2.*

Ut jugulent hominem, ſurgunt de nocte latrones:
Ut te ipſum ſerves, non expergiſceris? atqui
Si noles ſanus, curres hydropicus: &, ni
Poſces ante diem librum cum lumine, ſi non
Intendes animum ſtudiis, & rebus honeſtis;
Invidiâ, vel amore vigil torquebere. Nam cur
Quæ lædunt oculos feſtinas demere; ſi quid
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium, qui cœpit, habet facti: ſapere aude
Incipe; vivendi qui rectè prorogat horam,
Ruſticus exſpectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Non

R. Ita eſt, adeòque tunc maximè examini vacandum eſt, & quæ agenda incumbunt eſt determinandum, . . cùm

Non domus, & fundus, non aeris acervus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas: valeat poſſeſſor oportet,
Si comparatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, juvat illum ſic domus aut res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collectâ ſordè dolentes.
Sincerum eſt niſi vas, quodcunque in fundis areſcit.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem:
Invidus alterius macreſcit rebus opimis:
Invidiâ ſiculi non invenêre Tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.
Ira, furor brevis eſt. Animum rege: qui niſi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.
Fingit equum tenerâ docilem cervice magiſter
Ire viam, quâ monſtret eques: venaticus, ex quo

Tem-

cùm affectibus liberi ſumus, quibus ſapientiæ ferventi & conſtanti ſtudiò obviam eſt eundum.

10. Motiva ad diligentiam. Q. Quæ ad attentionem motiva præſcripſiſti, iiſdem utendum & ad diligentiam, quæ nihil aliud videtur, niſi alacris & ſibi conſtans attentio?

R. Hanc virtutem, haud dubiè ſuam faciet, qui excellentiſſimò fine ſibi propoſito, ad laborem ſubinde ſe excitabit; qui pœnas à ſe exiget, niſi propoſita impleverit; qui prudenti, & quem revereatur inſpectori rationem ſuorum profectuum reddet; qui ſeſe aliorum exemplò excitabit, quos mediocri ingeniò præditos, diligentia ad altiſſimos gradus promovit, qui à voluptatibus corporeis, quæ animum à

Tempore cervinam pellem latravit in aulâ,
Militat in ſylvis catulus: nunc adhibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Epiſt. L. I. 11.

Romæ laudetur Samos & Chios, & Rhodos abſens.
Tu quamcumque Deus ſeu Fors donaverit horam, Gra-

à labore avocant, abſtinebit, harum leves fructus, & ſæpe pudendos exitus, cum ſcientiarum dignitate frequenter componens; qui ſemet ipſum explorabit, ad calculos accuratè revocans quantùm die, hebdomade, annô elapſô profecerit, in quo à propoſitô defecerit, aut metam præſtitutam ſuperaverit. Ad ſcientiam non deducit via maximè compendioſa & facillima, labore & tempore opus eſt, & attendere perſeveranter.

CAPUT

Grata ſume manu; nec dulcia differ in annum:
Ut quocunque loco fueris, vixiſſe libenter
Te dicas: Nam ſi ratio, & prudentia curas,
Non locus effuſi latè maris arbiter aufert:
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt,
Strenua nos exercet inertia! navibus atque
Quadigis petimus bene vivere. Quod petis, hic eſt:
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus.

CAPUT IX.

De Memoria.

1. Memoriæ Logicæ objectum

Q. DIligentia quam commendas, memoriæ parens eſt, Facultatis ſcilicet Retentricis, quæ ſola ſupereſt, de quá verba facias, ſi quidem de eâ ſcribere Logici munus ſit?

R. Certè eſt; nam ſi nulla ſit, vel debilis admodùm extet, aut evaneſcent Mentis perceptiones nunquàm rediturae, aut non ſine gravi moleſtia de novo excitabuntur; Stupidi præterea videntur homines magis, vel minùs, pro ut magis, aut minùs tardè ideas exerunt è memoriâ.

Adde, titubante memoriâ, turbari conceptus, res affines confundi, alteramque in alterius vicem & locum ſuccedere, & pro ideâ quam excitare quærit, diverſam ſe ſe menti offerre. Confuſionis ergo, adeoque erroris & deceptionis cauſis, debilis quoque memoria annumeranda eſt.

Q. Quotuplicem obſervas in memoriis differentiam?

R. Sunt

R. Sunt qui promptè diſcentes facilitate pari dediſcunt; Sunt qui tardè rerum ideas ſibi imprimentes, impreſſas diutiſſimè ſervant; Sunt quorum anxius & diuturnus labor, brevi tempore deletur; Sunt denique quorum memoriæ, ea quæ promptè aſſecuti ſunt, diutiſſimè infixa manent. 2. Memoriæ ſpecies quatuor.

Q. Feliciſſimâ, quam ultimo loco enarraſti, memoriâ donatis, nihilne videtur præcipiendum? 3. Fœlix memoria ſuos habet adjunctos defectus.

R. Imo aliquid; Nam quibus memoria fœlix & tenacior eſt, quia ad res addiſcendas breviori morâ egent, eiſdem conſiderandis brevius quoque quàm par eſt tempus impendunt; inde fit ut imperfectiores conceptus forment: ſedulò igitur attendentes, quantùm inter verborum memoriam, & rerum claram notionem interſit, tempus, quod inſculpendis conceptibus alii impendere neceſſe habent, iiſdem expoliendis & trutinandis ipſi conſecrent.

Q. Habeſne præcepta, quorum obſervatio memoriam roboret?

R. Ita, nam *Primò*, ad res addiſcendas, cupidò animò accedendum: *Secundò*, ſemel cognitæ ſubindè recognoſ- 4. Quibus auxiliis juvetur memoria.

gnoſcendæ. *Tertiò*, idearum conſervandarum cura, præcepto interno injungenda, ſibi ita præcipiendo, *hoc jam deinceps debes*. *Quartò*, non multa legenda, ſed multùm, idque, *Quintò* non continuo niſû, ſed repetitis vicibus. *Sextò*, poſteriora prioribus, quàm multiplici nexû fieri poteſt, colligenda. *Septimò*, multa in ſummas contrahenda, compoſita ad ſimplicia, ſpecies ad genera, irregularia ad regularia revocanda ſunt: *Octavò*, lectioni meditatio, meditationi ſcriptura, ſcripturæ colloquium adjungendum eſt. Denique nihil memoriæ mandandum quod non priùs clarè & diſtinctè, quantùm fieri poteſt, conceperis; tunc enim nec rectitudini judiciorum me moria officiet, nec rerum multitudine ipſa turbabitur.

5. De adverſariis & collectionibus quid ſentiendum.

Q. Sunt quorum memoriam adjuvant aſterici in margine ſignati, Capitum Analyſes, aut in tabulas contractio; earum denique, quæ ſparſim leguntur, ad certos locos communes, aut certum quemdam ordinem Alphabeticum reductio?

R. Modò quæ anotaverunt frequenter relegant, ſic ut primarios fontes in

in memoriam revocent, quippe nimis multos videre eſt, qui obſervata chartis inſcripſiſſe contenti, quaſi ipſa papyrus eſſet memoria, omni curâ, per hunc laborem, ſeſe defunctos putant.

Q. At ſi quis, etiam talium præceptorum ſedulus obſervator, memoriam ſuam firmare impar ſit, quid ei conſilii dabis? 6. Quomodo memoriæ vices ſupplendæ.

R. Talis certe ad ſtudia ineptus cenſendus, ni acri ſtudio ſibi comparans, promptè excogitandi ſolertiam, pari felicitate inveniat, quâ alii reminiſcuntur.

PRI-

PRIMÆ PARTIS
LOGICÆ
SECTIO SECUNDA.
De Perceptionibus *relatè ad Objecta conſideratis.*

CAPUT PRIMUM.

Perceptionum Objecta in genere perpendens, & utilia præmonens.

De Nihilo.

1. Tranſitio & Objecti definitio. Q. PErceptiones luſtrans relatè ad facultates quibus formantur, harum corrigendarum & perficiendarum præcepta tradidiſti, ſequitur nunc, ut eaſdem contempleris, relatè

relatè ad objecta quibus variantur: Quid igitur intelligis per *Objecti* nomen?

R. Id omne de quo ſermo inſtituitur.

Q. Hanc generalem definitionem, quænam diviſio primùm ſequetur. 2. Diviſio.

R. Sermo inſtituitur vel de ente, vel de non ente.

Q. Quâ ratione Mens noſtra ſeſe componere debet, quando ſermonem de nihilo inſtituit? 3. Quis ſtatus mentis de *Nihilo* cogitantis.

R. Omnis realitatis conceptum amovere, abſtinere ab ideis fingendis, & repræſentationibus, illiuſque abſtinentiæ & ceſſationis eſſe conſcia.

Q. Unde fit, ut ejuſmodi res adeò videatur operoſa atque ardua? 4. Cur difficilis?

R. Ex conſuetudine inolita, quâ Mens fertur ad conceptus fingendos, etiam ubi minimè opus eſt.

Q. Illius vocis *Nihil*, quotuplex acceptio? 5. Triplex nihilo acceptio.

R. *Nihili* voce venit, *primò*, quod equidem non eſt, ſed futurum eſt, *ſecundò*, quod nequidem futurum eſt, ſed eſſe poteſt: *Denique* quod nec eſt, nec exiſtere poteſt, cujus exiſtentia involvit contradictionem.

Contradictio diſtingui poteſt in *ab-abſolutam* & *hypotheticam* : Quod corpus ſeſe projiciat ex alta turri in ſubjectam planitiem contradictionem non implicat *abſolutam* , ſed quod mens ſana & rationis compos, id velit & jubeat impellatque corpus ſuum in talem ruinam, contradictionem implicat *ex hypotheſi.*

6. Contradictoria proponentis ſtatus duplex.

Q. Expone, quæſo, ut ſe habeat Mens ejus qui contradictionem aliquam proponit?

R. Ille *vel* contradictionem minimè obſervat, ideaſque perperam conjunctas ſupponit, de quarum conjunctione ideam nullam habet, verba fundens ſenſû deſtituta, quorumque ſignificationes ſeſe mutuò evertunt ; *vel* contradictionem orationis ſuæ ipſe percipit, habetque *Primò* utriuſque termini ideam. *Secundò* , videt alteram idearum illarum excludi ab alterâ.

7. De non ente poſſibili & futuro.

Q. Circa non ens poſſibile, quomodo philoſopharis, nam *Nihilo* aſſignare aliquam potentiam & aptitudinem videtur abſurdum?

R. In errorem hîc inducimur phraſibus inaccuratis, quæ idcircò in ac-

curatas

curatas commutandæ ſunt, ſic pro eô, quod dicunt, *mons abſque valle conſiſtere nequit*, dicerem, *Idea montis infert neceſſariò ideam vallis:* Sic pro eo, quod dici ſolet, *Mons aureus exiſtere poteſt* affirmarem *exiſtere entia*, ſive ſummum, ſive creata, *quibus ea vis eſt, ut poſſint procreare & efformare ens extra me realiter exiſtens, eâ naturâ, iiſque proprietatibus donatum, quas in idea, menti nunc obſervante, tanquam in exemplari contemplor. Denique non rebus futuris, ſed rebus jam exiſtentibus, futuraque olim producturis, realitas eſt attribuenda.*

Id futurum eſt, ſignificat, obverſatur menti, certus quidam conceptus & rebus extra me poſitis ea vis ineſt, ea motuum determinatio, unde emerſura ſit, res actû exiſtens & conceptui meo reſpondens.

Q. Ex principiis poſitis, elucida Canonem, *Non entis nulla eſſe attributa?* 8. Non entis nulla attributa.

R. Ejus vis hûc redit; ei qui entis ideam removit, ſi ſibi conſtare velit, unde ideam mentis removit inde omnis attributi & proprietatis ideam eſſe removendam.

CAPUT II.

De Ente *in genere*, & ſubſtantia *in ſpecie*.

1. Entis idea Univerſalis.

Q. ENtis non requiro definitionem, quæ definito clarior dari nequit; ſed ſpecies & diviſiones?

R. Entis notio, *vel* eſt univerſalis; *vel* ſingularis; *Univerſalis* pluribus applicabilis eſt objectis. *Singularibus* ſuum ſingulis reſpondet objectum.

2. Errorum occaſio.

Q. Habeſne quædam circa univerſalem Entis notionem monenda?

R. *Primò*, cùm idearum nulla promptiùs Menti ſiſtatur, utpotè, cui maximè aſſuevit, quandoquidem nullius rei ſingularis conceptus formetur, quin idem Entis in genere vagam notionem involvat; fit ut ſtatim atque objectô Mens afficitur, ſeſe aliquâ realitate affici protinùs inferat, cui nondum diſtinctè cognitæ, ſi nomen aliquod imponat, periculum eſt, ne rem ſibi cognitam, quòd ejuſdem nomen familiare ſibi fecerit, præpoſterè putet.

Secun-

Secundò, cùm vividiùs longè ab eó, quod eſt, mens afficiatur, quàm ab eo quod non eſt, fit ut apud mentem collationes inſtituentem, pauca quæ extiterunt præponderent innumeris, quæ non fuerunt, neç ſunt, quibus idcircò non attendit, cùm tamen abſentia quandòque præſentibus præſtent.

Q. Supereſt nunc declares, quibus universalis illa notio applicari poteſt? 3. Tres Entis ſpecies

R. Objecta realitate quâdam donata & reverà exiſtentia in tres claſſes diſtribuuntur, quarum *Prima*, res extrà nos exiſtentes, *Secunda* conceptus, *Tertia* denique vocabula, cùm res ipſas, tùm conceptus noſtros deſignantia, comprehendet.

Q. Sed notiones exprimis iterum Univerſales? 4. Omnium maximè ſingularis DEI notio?

R. Ita eſt, & quandoquidem res ſingularis vix ulla ſit, quæ non habeat ſimiles, vix quoque ullius idea formari poteſt, quæ non ſit pluribus applicabilis, ſi excipias ideam Dei, id eſt, ideam Entis meri, ideam ejus qui eſt omne ens, omnis perfectio, à quo omnis abeſt imperfectio, de quo nulla realitas negari poteſt, ipſa perfectio abſoluta.

Hanc ideam pluribus applicari, implicat contradictionem; Ei enim non competit omnis perfectio, ille non eſt omnis realitas ſimplex & abſoluta, qui ſuas quidem perfectiones poſſidet, ſed à quo differt, perfectio & realitas alterius abſoluti etiam & realis atque perfecti.

Q. Res extra te exiſtentes, quomodo diſtribuis?

5. Rerum extra nos exiſtentium differentia triplex.

R. Mens noſtra quandò rem extra ſe exiſtentem contemplatur, cogitat *vel* de re propria dicta ſive ſubſtantiâ, *vel* de accidentibus, vel de re modificatâ, accidentibus ſuis veſtitâ.

Q. Quomodo definis *ſubſtantiam?*

6. Definitio ſubſtantiæ.

R. Subſtantia eſt ea realitas, quæ exiſtentiam poſſidet ſibi propriam, ſive cujus exiſtentia alia eſt ab exiſtentia cujuſvis alterius rei.

Sic definiatur ſubſtantia per *Ens habens* in ſe omnia quæ ad exiſtentiam neceſſaria ſunt, defintio coincidet cum noſtra quoad ſenſum, ſed minus clara videtur quippe ut ſubſtantiæ nomen Rei alicui juſte tribuamus, haud neceſſe eſt omnia quæ Ens illud conſtituunt cognita habeamus. Pariter ſive ſubſtantiæ plures diſtrahantur à ſe invicem

vicem ſive jungantur inter ſe, unumque totum componant, cujus ſingulæ partes ſint, manent pariter ſubſtantiæ, quia, ſive conjunctæ, ſive ſeparatæ, ſingulæ pergunt exiſtentiam ſuam retinere *ſeorſim*, nam differunt ſeorſim exiſtere & *ſeparatum* eſſe; unde vitandæ ambiguitatis gratiâ præpoſui dicere cujus *exiſtentia alia eſt* definitioni, ponenti *quæ exiſtit ſeorſim.*

Q. Undè certò dignoſces, num objectum quodpiam, ſubſtantia ſit an accidens?

R. Mens ideam, quâ afficitur, ideam eſſe ſubſtantiæ tùm demùm certa eſt, cùm remotô omni ſubjectô, cui objectum ideæ tali repondens inhæreat, non cadit illud objectum, non perit ejus idea, cùm contrà evaneſcat modi conceptus, ſublatô ſubjectô, cujus modus eſt; nam de rebus certè ex ideis noſtris judicare licet; unde enim niſi ex ideis noſtris judicaremus. 7. Subſtantiæ criterium.

Q. Subſtantiæ quotuplex acceptio? 8. Subſtantiæ acceptio duplex.

R. Voce *Subſtantiæ* aliquando conceptus deſignatur incompletus, aliquando completus, & rei extra mentem cogitantem exiſtentis; *Completus* nempè dicitur ille conceptus, cui ut

reſpondeat objectum extra mentem concipientem exiſtens, nihil ſuperaddendum. *Incompletus* vero is, cui non poteſt reſpondere res extrà mentem exiſtens, niſi ei adjiciatur aliquid.

9. Subſtantia duplex.

Q. Subſtantia quotuplex eſt?

R. Extenſa, & ſui conſcia.

Q. Quomodo probas ſubſtantiam ſui conſciam non eſſe extenſam?

10. Cogitatio non eſt extenſa.

R. Omnino ex antè dictis patet, cogitationem non eſſe modum rei extenſæ, remotô enim ſubſtantiæ conceptû, extenſionis nempè, evaneſceret modi idea, cogitationis videlicet.

11. Ejus cognoſcendi via.

Q. Ad ſubſtantiam cogitantem cognoſcendam, quænam via inſiſtenda eſt?

R. Sibi attendendum, ejuſque naturam intimus ſenſus deteget, eſt quippe *res ſui conſcia.*

12. Via Dei cognoſcendi.

Q. Tali conſcientia ſui, ſibi quidem quiſque notus fiet, ſed non omnem aſſequetur ſubſtantiam ſpiritualem, nam Dei, verbi causâ, notio à notione noſtri diſcrepare debet?

R. Adeoque notio ſubſtantiæ cogitantis, quam ex conſcientiâ intimâ habemus, eſt ex idea Entis ſummè perfecti corrigenda.

Q. Diſ-

Q. Diſcrimen videris attigiſſe ſollicitè obſervandum.? 13. Neceſſitas diſcernendorum corporum à mentibus.

R. Omninò, nam ſtatim atque corporibus quæ menti conveniunt, & quæ ad corpus pertinent, menti tribuuntur, hac idearum confuſione, univerſa perturbatur Philoſophia.

Q. Solent Metaphyſici, poſtquàm dixère de ſubſtantiâ, aliquid addere de ſuppoſito & *Perſonâ*?

R. Subſtantiâ quæ alteri adjungitur, tanquam pars cum eâ totum componens, *Suppoſitum* dicitur & ſi ſit cogitans *Perſona*.

Actiones porrò dicuntur eſſe *Suppoſitorum* & *Perſonarum*, id eſt, quod opus ex una partium manavit, adſcribitur *Suppoſito*, ex illa & aliis partibus compoſito. Sed hæc ultima quæſtio ad Grammaticam pertinet potius quàm ad Logicam aut Metaphyſicam. 14. Suppoſitum & perſona.

CAPUT III.

De Modis.

1. Modi definitio. Q. QUid intelligis *Modos?*

R. Modi ſunt ſtatus ſubſtantiarum, quæ nunc hoc, nunc illo modò ſe habent.

2. Accidentis vox minus plana. Q. Cur *Modos* dicis potiùs quàm accidentia?

R. Quia vox accidentis videtur ſupponere entitates neſcio quas, rebus ſupervenientes, umbratilia entia, tenuia, propemodùm evanida, eoque fulcimine ſubſtantiarum egentia, ſed à ſubſtantiis illis, quibus ſuſtinentur, tamen diverſa.

3. Canones. Q. Circa Modos qui feruntur Canones?

R. *Ex Modis fluunt rerum proprietates.* Res enim nihil unquam efficiet, niſi in certo quodam poſita Statû, aut certæ cujuſdam diſpoſitionis vi, unde infero in modorum naturam inquirendum eſſe, ut quid res poſſit detegatur. *Modi è ſubjectò in ſubjectum tranſire non poſſunt*; Nam ſtatus rei, qui poſſet

poſſet exiſtere à re ipſa, cujus ſtatus eſt, ſeparatus; Res ipſa in certo quodam ſtatu.

Q. Quomodo diſtingui ſolent? 4. Modorum diviſio.

R. Modorum tritæ diviſiones confuſiſſimis ortum debent ideis, nam quia ſubſtantiam aliquam ad aliam ſubſtantiam, referentes, cum alia conferentes, de ea tanquam de modo loquimur; diſtinguuntur modi in *ſubſtantiales* & *accidentales.* Et quoniam negationem ad inſtar modi, nonnunquam efferre ſolemus: hinc diſtinguuntur modi in *Poſitivos* & *Negativos.* Quia denique, de relationibus rerum verba fiunt, non ſecùs ac de ſtatû quem poſſident in ſe, & ad alia non relata, hinc diſtinctio iterum nata eſt *modorum*, in *reales* & *rationis*, vel *internos* & *externos*, ſive externas denominationes, ſic mentem habere, veſtitum eſſe, *modi ſubſtantiales*; doctum, album, *accidentales*; mutum, cæcum, *negativi*, ſapientem, fortem, *reales*; honoratum, laudatum, *rationis*, ſive *denominationes externæ* ſunt.

Q. Quomodo diſtinguis *attributa* à modis? 5. Attributa definiuntur & dividuntur.

R. *Attributi* nomen latiùs patet,

nullius ſcilicet rei, ea eſt ſimplicitas, ut plura non contineat, quæ omnia, ſive modi ſint, ſive ſubſtantiæ, quemadmodum & denominationes externæ, univerſali attributorum nomine veniunt.

Attributum id, quo poſito cætera ponuntur, quô ſublatô cætera pereunt; quodque nullum aliud ſupponit, ſed ab aliis ſupponitur cæteris omnibus, *eſſentia* dicitur, atque inſuper *differentia.*

Quæ vero tali *attributo* ſive *eſſentiæ* ſic annexa ſunt, ut eô poſitô neceſſariô ponantur, attributa vocantur eſſentialia, ſive propria. *Accidentalium* denique nomen obtinent attributa, ſine quibus eſſentia ſubſiſtere poteſt.

6. Attributi vox ſæpe inaccurata.

Q. An accurato ſermone utuntur, qui rei alicujus eſſentiam inter ejus attributa numerant?

R. Minimè, nam ſic rei ipſa res tribuitur, quaſi à ſe contineretur, eſſetque à ſe illô ſenſû diverſa.

Sunt attributa quæ à ſubſtantia ſua ſeparari non poſſunt, quia ſunt ipſa ſubſtantia.

7. Attributa corporum

Q. Corporum attributa in quot Claſſes tribueres? R. In

R. In *quinque*, Menſuram, Quietem, Motum, Poſituram, Figuram.

Q. Cogitationis modos, quomodo diſtingueres? 8. Spirituum

R. Mentem diſtinguerem percipientem à volente; perceptionum obſervarem alias eſſe ſenſationes, alias ideas, atque varias extare pro facultatum, objectorum & modi percipiendi diſcrimine, &c.

CAPUT IV.

De Relationibus in genere.

Q. SUfficit ne objecta ut in ſe ſunt contemplari atque cognoſcere, an inſuper eadem inter ſe conferre oportet, atque in eorum mutuas relationes ac habitudines inquirere? 1. Relationum momentum.

R. Omninò, omnis quippe humana cognitio in rebus comparandis verſatur, Phyſicus, v. c. corporum inter ſe habitudines, Ethicus cogitationum, perceptionum, voluntatum relationes, expendit, quibus deprehenſis, ille cauſas rerum, iſte fundamenta officiorum perſpecta habet.

Q. Quo-

2. Relatio quot actibus abſolvatur? quotuplex ſit?

Q. Quomodo ſe ſe habet mens dum objecta confert?

R. Duo objecta inter ſe conferre, eſt *Primò* objecta duo cogitationi ſuæ præſentia ſiſtere, ſive de duobus objectis ſimul cogitare, *Secundò*, obſervare num ſub eâdem, num ſub diverſâ cogitandi formâ menti cognoſcenda occurrant, *Tertiò*, num ea ſit efficacia unius ut abſque eô alterum eſſe nequeat. *Quartò*, an faciant unum quid, an plura ſint & ſeparata, quæ ſunt omnes relationum ſpecies, *Prima*, conſensûs. *Secunda*, diſſensûs. *Tertia*, dependentiæ. *Quarta*, unitatis. *Quinta*, multitudinis relatio dicitur.

3. Ratio & Proportio

Q. Ut Objecta, nonne Relationes poſſunt iterum inter ſe conferri?

R. Imò, nam ut in ſimplici collatione conferuntur objecta, ſic in compoſita conferuntur inter ſe relationes ipſæ. Duas moles V. C. inter ſe conferens, *Primam* deprehendo triplicem, *Secundæ*, *Tertiam*, deinde cum *Quarta*, componens, animadverto pariter, menſuram *Quartæ* ter iterandam ut metiatur, *Tertiam*, Quo igitur modo cogitandi utor, ad concipiendam relationem primæ ad ſecundam, eodem

dem cogitandi modô, eôdem mentis actu relationem percipio tertiæ ad quartam. Relatio *ſimplex* inter duo objecta intercedens dicitur *Ratio, compoſita*, ſi ſit conſentiens, vocatur *Proportio*, quæ eſt rationum æqualitas.

Q. Proportio quotuplex eſt?

R. Duplex continuata & diſcreta; Nempe duorum objectorum quæ conferuntur primum dicitur *Antecedens*. Secundum *Conſequens*, & conſequenter in omni proportione, duo ſunt Antecedentia, & duo Conſequentia, quamvis nonnunquam tribus proportio tantummodò conſtet terminis, ſi nempe Secundus, conſequens primæ collationis, ſimul antecedens ſit ſecundæ rationis; talis Proportio *continua* vocatur, quod in illa, ſecunda Ratio primam, abſque ulla interruptione ſequatur; *Diſcreta* verò quæ quatuor conſtat terminis: *Continuæ* exemplum eſto, ut 2. ad 4. ita 4. ad 8. & diſtinctæ ut 2. ad 4. ita 3. ad 6.

4. Proportio continua & diſcreta.

Q. Præter duos terminos inter ſe collatos, quorum primus antecedens, ſecundus conſequens dicitur, quid præterea in omni relatione obſervas?

5. Fundamentum relationis.

R. Fun-

R. Fundamentum relationis; illud videlicet attributum ad quod mens, in rebus à ſe collatis, attendit, ut eas conſentientes v. diſſentientes, v. dependentes affirmet. Inter duos circulos datur relatio conſenſus, hujus fundamentum eſt æqualis ubique diſtantia ultimarum partium à mediô punctô. Inter circulum & quadratum, datur relatio diſſensûs, cujus fundamentum eſt, quòd ibi quidem quæ longitudo metitur diſtantiam unius puncti, eadem omnium punctorum à mediô diſtantiam quoque menſuret; cùm ſecus ſe res habeat in quadrato, nam quæ longitudo à medio ad certum quoddam punctum porrigitur, aliud non attingit.

Q. Et quid tibi erit ipſa relatio?

6. Relatio actus mentis.

R. Relatio ipſa conſiſtit in cognitione, quam mens ſibi comparat illius fundamenti, adeòque relatio ipſa actus eſt mentis, nec extra eam ullo pacto exiſtit. Nemine cogitante nulla eſt relatio, quamvis etiam nemine cogitante, fundamentum extet relationis. Unicum v. c. primò exiſtat ovum; ſequenti deinde momentô ſecundum

cundum naſcatur. Priori nihil accidit niſi novum nomen, ſimile incipit dici, voxque illa, ad ideas claras ſignificandas revocata, innuit, quâ cogitandi formâ primum objectorum ut ovum concepiſti, eâdem ſecundum quoque ut ovum à te conſiderari.

Q. Multi ſunt Scholaſtici in congerendis circa relationem diſtinctionibus variis. 7. Relatio Phyſica & Moralis.

R. Adde vanis niſi fortè excipias relationem *Phyſicam*, cujus fundamentum eſt, quædam rerum conſtitutio neceſſaria, & *Moralem* ex arbitrario inſtituto fluentem. Moralis quoque Relatio neceſſaria eſſe poteſt, quando Rerum ipſarum naturam habet pro ſuo fundamento.

CAPUT V.

De objectis relatè ad nos ſpectatis.

Q. Accedas nunc oportet ad ſpecies relationum à te primum enumeratas, ſigillatim & accuratiùs executiendas? 1. Tranſitio.

R. Id faciam ſi præmiſerim objecta con-

conſiderari vel relatè ad nos, vel relatè ad ſe invicem.

2. Sublimia, exilia captui accommodata.

Q. Ab illis igitur fac initium, quas nobiſcum habent, relationibus.

R. Reſpectu noſtri, objecta vel ſic *ſublimia ſunt* ut *captum noſtrum ſuperent*, vel ſic *exilia* ut *facultatum noſtrarum aciem fugiant*, vel denique *captui noſtro accommodata*.

3. Quænam omittenda.

Q. Circà primi & ſecundi generis objecta, quid mones?

R. Quid aliud monerem, niſi perire tempus & laborem talia verſantibus.

4. Uunde ſublimium affectatio.

Q. Qui fit ut talium cognitionem plerique litteratorum præ ſe ferant, affectentque maximè?

R. Supra cæteros videlicet ſapere volunt, aut ſaltem ſapere videri.

5. Fucus & fallacia.

Q. At unde eſt quòd cæteris tam facile imponant.

R. Capiuntur plerique pompâ verborum atque irretiuntur ſtyli ſublimate, & ἀκιβείας ementitâ ſpecie.

6. Quâ ratione diſcutiatur.

Q. Cùm nihil turpius videatur quàm de non intellectis acriter diſputare; quæ methodus obſervanda in ejuſmodi controverſiis dirimendis?

R. Satis eſt ab iis qui talia affectant petere

petere argumenta, unde quas ſententias amplectuntur probent, quæ cùm niſi levia & obſcura proferri poſſint, ſuâ ruunt infirmitate; aut diſſipantur obſcuritate.

Q. Talis intemperantiæ radices quibus rationibus exſcindis. 7. Huic morbo quomodo contra eatur.

R Seriò reputandum, nihil præter verum eſſe amabile; Nec ut verum quicquam tuto cognoſci, quod non clarè fuerit perceptum, nam 1. ſubtilitates vel ſpecioſiſſimæ, ubi accuratiùs excutiuntur, evaneſcere ſolent, tanquàm figmenta inaneſque chimeræ, 2. nihil indignum magis ſapiente, quàm quouſque humana cognitio porrigatur ignorare. 3. Perpendendum non facilè abſconditas veritates eum aſſequi poſſe; cui obviæ & apertæ viles ſunt, 4. ut obviarum cognitionem maximè neceſſariam, ſic ignorantiam maximè turpem eſſe.

Q. Quænam dicuntur tibi menti noſtræ attemperata? 8. Quæ ſunt captui noſtro attemperata abſolutè.

R. Quorum natura non eſt infinita, nec immenſitatem ſapit, eoque magis attemperata ſunt, quò relationes aut nexus, ſimul attendendos, numero pauciores continent.

Q. Ul-

9. Compa- ratè. Q. Ultima hæc obſervatio innuit extare quæ hujus & illius equiſdem captum ſuperant, ſed non continuò ingenii humani vires tranſcendunt.

R. Omnino; atque hic labuntur plerique, dum tantum probant quantum ſperant ſe aſſequi poſſe; imò dantur qui obliti arctiores eſſe mentis quam rerum limites, id omne quod captum ſuum ſuperat exiſtere negant.

10. Ad praxim facientia acriori ſtudio perſequenda. Q. Inter attemperata captui noſtro quænam acriora ſtudia merentur?

R. Quæ moribus ſanctè formandis, mentique ſapientiâ imbuendæ, & tranquillandæ, magis conducunt; ſunt nempè veritates cognoſcendæ vel *Practicæ* vel *Theoreticæ*, id eſt, ſunt tales ut earum cognitione mens ſimpliciter illuſtretur, vel ejuſmodi ut eadem ad actiones cùm internas, tùm externas, excitetur; quod ſi immediatè faciant *Practicæ* ſunt *ſimpliciter*, ſi vero

(a) Hor. *Epiſt. L. I.* 1.

Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem. [pono;
Nunc itaque & verſus & cætera ludicra
Quid verum, atque decens, curo, & rogo, & omnis in hoc ſum:
Condo, & compono, quæ mox depromere poſſim. Nullius

vero non niſi mediatè & quaſi indirectè ad praxim tendunt, *Theoretico practicæ* vocantur, & Theoreticæ quidem eò majori applicatione dignæ ſunt, quò ad praxim majoris usûs eſſe deprehenduntur (*a*).

Q. Perge in enarrandis objectorum erga nos relationibus? 11. Nova & antiqua.

R. Sunt vel Nova vel Antiqua.

Q. Quibus mediis aſſequi poterunt ne ſibi imponant tales relationes? 12. Non imponunt adhibitis cautionibus.

R. Cogitent 1. in nova proni, eum qui propoſita amplectitur, quia nova ſunt, veritatis inventæ argumentum facere, quod examinandæ tantummodò debuerat eſſe incentivum; Reputent 2. antiquis nimium addicti, mundô ſeneſcente multa ante hac incognita detegi; nos eſſe antiquos, & qui

Nullius addictus jurare in verba magiſtri
Ut nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ ſpem
Conſiliumque morantur agendi gnaviter id, quod Æque

qui dicuntur antiqui potius novos dicendos eſſe, & revera novos fuiſſe;
Non

Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque;
Æque neglectum pueris, ſenibuſque nocebit.
Reſtat, ut his, ego me ipſe regam, ſolerque elementis.
Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſâ corpus nolis prohibere chiragrâ
Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur ultra
Fervet avaritiâ, miſeroque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes ſunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator;
Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit.
Si modo culturæ patientem cōmodet aurem
Virtus eſt vitium fugere; & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe. Vides, quæ maxima credis

Eſſe

Non modo peſſimam rem eſſe errorum apotheoſim, ſed quod maximè movet

Eſſe mala, exiguum cenſum turpemque repulſam,
Quanto devites animi, capitisque labore:
Impiger extremos curris mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:
Ne cures ea, quæ Stulte miraris, & optas;
Diſcere, & audire, & meliori credere non vis?
O cives cives, quærenda pecunia primum eſt;
Virtus poſt nummos: Hæc janus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata ſeneſque,
At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi nullâ palleſcere culpâ.
Roſcia, dic, ſodes melior lex, an puerorum
Nœnia, quæ regnum rectè facientibus offert,
Et maribus Curiis, & decantata Camillis?
Is ne tibi melius ſuadet, qui rem facias, rem
Si poſſis, rectè; ſi non quocumque modo rem
Ut propiùs ſpectes lacrymoſa Poëmata Puppi

An

13. homnies ſummè ridiculam (*a*).

Cæteræ relationes in præcedentibus excuſſæ.

Q. Nonne pluribus adhuc modis objecta ad nos referri poſſunt?

R. Imò ſed de ſenſibus aut affectibus agentes, quæ utiliter obſervari hac ocaſione poſſent, jam præoccupavimus.

CAP.

An qui Fortunæ te res ponſare ſuperbæ
Liberum & erectum præſens hortatur, & optat?
Quod ſi me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, ſic judiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiam, quæ diligit ipſe, vel odit
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam; quia me veſtigia terrent
Omnia te adversùm ſpectantia, nulla retrorsùm.
Bellua multorum es capitum: nam quid ſequar aut quem?
Eſto aliis alios rebus, ſtudiis teneri:
Iidem eadem poſſunt horam durare probantes?
Si cutalus inæquali tonſore capillos
Ocurri; rides; ſi fortè ſubucula pexæ
Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar;

Rides.

CAPUT VI.

De Similibus.

Q. RElationum, quas ipſa objecta inter ſe habent nunc expendendarum methodum inquiramus? 1.

R. Incipiemus ab iis quæ dicuntur conſenſûs, dicamque res eas vocari ſimiles, ad quas concipiendas mens eandem formam cogitandi uſurpat. Similium definitio.

Q. Similitudo quotupliciter exprimitur? 2. Similitudo contracta & explicata.

R. Dupliciter; nonnunquam ſimplici

Rides. Quid mea cum pugnat ſententia ſecum
Quod petiit, ſpernit: repetit, quod nuper omiſit.
Æſtuat, & vitæ diſconvenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrato rotundis;
Inſanire putas ſolemnia me, neque rides;
Nec medici credis, nec curatoris egere
A Prætore dati;

(*a*) Hor. *Ep. I.* 7.

Qui ſimul aſpexit, quantum dimiſſa petitis
Præſtent; maturè redeat; repetatque relicta.

plici duorum terminorum, qui inter ſe conferuntur, prolatione & hæc dicitur *Contracta*; nonnunquàm verò duobus exponitur membris, quorum *prius* oſtendit quâ ratione competat *relato*, id attributum quod collationis fundamentum eſt; *poſterius* verò demonſtrat ſimile prorſus attributum, & ſub imagine eadem menti occurrens, in *correlato* deprehendi, atque iſta ſimilitudo dicitur *Explicata*. *Prius* ejus membrum *Propoſitio* πρότασις ſecundum verò redditio ἀπόδοσις dicitur.

3. Similitudinum variæ ſpecies.

Q. Similitudinum enarra ſpecies?

R. Similitudinum illæ dicuntur, *Apologi* & *Fabulæ*, quæ rem illuſtrant, per evidenter ficta, *Parabolæ*, quæ per veriſimilia, *Exempla* quæ in aliquo facto ſingulari propoſitionem aliquam univerſalem, obſervatam aut violatam, oculis ſubjiciunt; aut aliquid ſingulare exponunt imitandum vel fugiendum, ſive cujus ſimilia ſunt facienda aut evitenda. *Typi* ſunt ſimilitudines quæ rem illuſtrant per res, & facta in id ipſum inſtituta, ſolentque reſpicere futurum, ſive adumbrare aliquid olim eventurum; cum quæ præ-

præterita repreſentant *Memoralium* & *Monumentorum* nomine veniant; *Allegoriæ* ſub corporalibus & extenſis, res internas & ſpirituales ſignificant, cùm ea Typi potius ſignificent quæ in ſenſus incurrere poſſunt, Allegoriis affinia ſunt *Emblemata*, quæ id habent ſingulare, quod ut appoſitum ſit & laudandum Emblema, partibus conſtet neceſſe eſt, quarum nulla non ſit ſignificans, ſed omnes & ſingulæ rei, per Emblema deſignatæ, aliquot attributa reſpiciant, cum in *Parabolâ* & *Allegoriâ* plurima, occurrant rei ſignificandæ non applicanda, atque ſatis ſit ſi ſcopus & concluſio Parabolæ huc aptè referri queant, *Ænigmata* per plurimarum Metaphorarum, quibus litterales locutiones nonnunquam admiſcentur, congeriem, rem aliquam ſingularem indicant, & ex ſuis proprietatibus deſcribunt. *Antropopatheias* in ſpecie vocant Theologi ſimilitudines ab humanis deſumptas, ad divina efferenda.

Q. Declara nunc ſimilitudinum utilitates? 4. Similitudinum uſus triplex.

R. 1. Nonnunquam res inter ſe ideò tantùm conferuntur, ut quouſ-

que conveniant manifeſtum fiat, quo in caſu utraque pariter nota ſuponitur, tali ſenſu conferunt v. c. Virtutem Ethnicam cum Chriſtianâ 2. nonnunquàm verò ex termini alicujus diſtinctiùs noti attenta conſideratione, tranſimus & progredimur ad notitiam alterius, ſimilis equidem, ſed huc uſque obſcurioris; ſic ex generatione caloris per affrictum, illuſtro generationem caloris ſimilis per acceſſum ad ignem; ſic ex ſpumæ albedine, nivis candorem ſunt qui explicant, huic fulti principio, *quod in una re evenit, id in ejus proportionali evenire poſſibile eſt*, nam *ſimilium ſimile eſto judicium*, 3. Similibus denique utimur affectuum excitandorum cauſa, ſic Deum ſui contemptum ulciſcentem, cum ardentiſſimo igne conferam, quòd qui horror atque cruciatus, ex tali igne admoto oritur, idem certè ei non inferior, mentem Deo exoſam torquebit. Similitudines denique ſimpliciter adhibentur, illuſtrandi & amplificandi gratiâ.

5. Q. Quibus in caſibus ſunt ſimilitudines maximè neceſſariæ.

R. Quando conſequentia tibi opus eſt,

eſt, cui præjudicia aut affectus ejus, quô cum diſputas, repugnant; Tunc enim ex principio præjudiciis & affectibus quibus præoccupatur, minimè in ſpeciem adverſo, conſequentia educenda eſt, iiſdem principiis minimè repugnans, & conſequenter facilè admittenda; deinde ex principio quod negari nequeat, educenda eſt conſequentia, eâdem prorſus ratione, quâ uſus es ad primam jam admiſſam, deducendam; ſic ut prima nequeat, tanquàm benè deducta agnoſci, quin ſecundæ, ex ſuo principio, deductio neceſſaria pariter agnoſcatur.

Q. Cur comparata etſi ficta arguunt fidemque faciunt? 6.

R. Quando in eum tantùm finem adhibentur ſimilitudines ut conſequentiæ ſecundæ neceſſitas, vi conſequentiæ primæ ipſi ſimilis, tantò magis manifeſta fiat, modò prima ſit neceſſaria, parùm refert, an à principio vero vel à falſo deducatur, non enim veritas ejus principii ſpectatur, ſed neceſſitas conſequentiæ & deductionis. Comparata ficta probant.

Q. Cur ſimilitudines tam facilè fucum faciant? 7. Similitu-

dines facilè imponunt. R. Quia delectant & quia mens humana, naturaliter laboris & moræ impatiens, ſimilia prorſus fingit & ſupponit, in quibus aliqua, ſimilitudinis ſpecies affulſit.

8. Q. A ſimilitudinum vi nimium fallaci, qnomodo te præſtabis tutum?

Niſi caveamus. R. Sunt ſimilitudines ſedulò expendendæ & attentè quærendum, num ſimpliciter illuſtrent, num quoque probent; ſi probant num abſolutè, num hypotheticè. Nec quia ingenioſæ, ideò ſolidæ reputandæ ſunt; nec ultra ſcopum differentis urgendæ, aut ultra quàm rei, de quâ agitur, natura fert, extendendæ, nam omne *ſimile eſt etiam diſſimile*, nec res ullæ adeò inter ſe æquantur, ut nullâ prorſus differentiâ, una ab alterâ diſcerni queat.

9. Q. Qualis ſenſus iſtius Canonis, *omnes res poſſunt inter ſe comparari?*

Similitudo univoca & analoga. R. Innuit nullam rem extare quæ non complectatur aliquod attributum, cujus conceptus, ſaltem vagus, non poſſit applicari attributo cuipiam rei diverſæ; nam conceptus quibus res ſimiles concipimus, ſunt vel magis vel minùs vagi; Iſti *Univoci* relatè ad illos

illos dicuntur, quos *Analogos* vocant; quò enim minùs ſimiles ſunt res, eò magis diverſas, diſtincti conceptus eas exhibebunt adeoque eodem conceptu repreſentari non poterunt res multùm diverſæ, niſi ſit admodum vagus.

CAPUT VII.

De paribus & eâ occaſione de quantitate majoribus & minoribus &c.

Q. Elucida mihi differentiam parium à ſimilibus? 1.

R. Hanc ab origine repetens obſervo mentem objecto cuipiam intentam, illius, vel naturam, ſtatum, attributum aliquod in ſe ſpectare, vel ad attributi illius & ſtatûs, in ſe ſpectati, gradus attendere; Aliud eſt v. c. conſiderare in motu id, per quod motus eſt motus, aliud eſt attendere ad ejus motûs vehementiam aut debilitatem; Ubi rerum duarum naturam, attributum quoddam, ſtatum quempiam, mens noſtra contemplatur, ſi quâ cogitandi formâ ad naturam, attributum, ſtatum prioris rei Prænotanda duo.

concipiendum utitur, eandem cogitandi formam uſurpat, ut poſterioris naturam, attributum, ſtatum ſibi repræſentet, res illas ſimiles pronuntiat; Obſervo 2 eſſentiam rei alicujus, ſive id per quod res eſt id ipſum quod eſt, realitate creſcere aut minui poſſe, ſic ut maneat ſemper ejuſdem rei eſſentia, id eſt una res non ſit altera, etſi realitas ejus major fiat, vel minor; v. c. ternarius non eſt minùs numerus, quam quaternarius, aut binarius; manet ſemper arbor quæ ramis augetur, vel ex quâ rami exſcinduntur,

2. Ad definitionem parium. Ubi igitur ea cogitandi forma, quæ alicujus objecti gradus, & realitatem tibi exhibuit, alterius quoque tibi exhibet gradus, & realitatem, res illæ *pares* dicuntur; Ubi contra; *impares*, earumque altera *major*, altera *minor*; *Paria* ſunt, illa objecta, in quorum unô, id attributum, reſpectu cujus conferuntur, tantùm continetur atque in altero.

3. Quantitatis definitio. Q. Realitas illa quæ creſcit minuiturve, manente rei naturâ quò nomine venit?

R. *Quantitatis* nam quantitatem vocamus

camus quodcunque majus vel minus fieri poteſt, quatenus magis vel minus recipere valet.

Q. Et Quantitas illa ad quam cæteræ omnes exiguntur, ad dignoſcendum an pares ſint, an impares, quæ tibi dicitur? 4.

R. *Menſura.* Menſura.

Q. Quantitas quotuplex eſt? 5. Quantitatis ſpecies.

R. Quantitatem diſtinguunt in *Diſcretam* cujus partes ſepoſitæ ſunt, & à ſe invicem ſejunctæ; talis eſt numerus unitatum collectio; & *Continuam*, intra cujus partes nulla eſt divulſio: Iſtamque faciunt vel *Permanentem*, cujus partes ſimul exiſtunt, qualis eſt extenſio. Vel *ſucceſſivam* cujus partes ſimul non ſunt; ſed quarum abſque tamen ullo hiatu, altera alteri ſuccedit. Diſtingui quoque debet in *Phyſicam* quæ corpora reſpicit, (iſtaque eò major eſt quò molem ſæpiùs aliquam adæquat) & *Moralem* quæ cogitationem ſpectat, iſtaque reſpicit vel *theoriam* vel *praxim*.

Quantitas cognitionis, 1. dijudicatur ex multitudine objectorum cognitorum, atque numerò attributorum in illis objectis obſervatorum, 2. ex 6. Quantitas moralis.

 perſpi-

perſpicuitate, diſtinctione, familiaritate idearum, ſive ex promptitudine quâ menti ſeſe ſiſtunt, *Praxim* quòd attinet, quantitas *actionis bonæ*, pendet maximè ex affectûs quo in obſequium legis flectimur, vehementiâ. Quantitas *actionis malæ* eò major eſt, quò obſtinatior contemptus legis, & negligentia ejus obſervandæ magis ſupina; Talem porro contemptum, talem negligentiam arguunt, facilitas officii præſtandi, momentum actionis prætermiſſæ, præſtantia objecti violati, conſequentia vitii perpetrati, difficultas denique ipſius vitioſæ actionis, & multitudo actuum ad ejus cumplementum concurrentium.

7. Canones. Q. Recenſe de paribus Canones?

R. 1. *Paria paribus conveniunt, quò ſenſu paria ſunt*, 2. *de Paribus idem eſto judicium*, 3. *Quæ uni tertio conveniunt, ea quoque ſimilia aut paria inter ſe cenſeri debent*. 4. *Comparatio debet fieri in eodem genere rerum, non in diverſo*. Duas res collaturus eo fine, ut cognoſcas, num quantitate pares ſint, aut impares, quantumque alicujus ex iis perfectiones, ab alterius perfectionibus diſtent, attributa ſeligere debes in

in utraque ſimilia, quæ inter ſe componas, ſimilibus quippe rebus dimetiendis, earumque quantitati conſtituendæ, eadem menſura ſufficiet; at ſi diſſimilia ſint illa attributa, quæ menſura unius gradus tibi indicavit, eadem quoque alterius gradibus tibi manifeſtandis non apta deprehendetur.

Q. Solent paribus adjungere majora & minora? 8.

R. Majora mihi ſunt quæ eandem menſuram ſæpiùs continent, & minora in quibus ea menſura non toties continetur. Majora & minora.

Q. Cùm à *Majori* ad *Minus* aliquando liceat argumentari, aliquando liceat argumentari, aliquando argumentum inde petitum non valeat; pariter à *Minori* ad *Majus* nonnunquam procedat, nonnunquam nulla ſit conſequentia, regulam aliquam ſtatuere operæ pretium eſt, cujus ope hæc diſcernantur. 9.

R. Quandoquidem. *Majus* contineat *Minus*, majus ſpectari debet tanquàm *Totum*, cujus Minus *pars* eſt. Jam verò ſi *parti* ea inſit efficacia, quæ ſufficiat effectui excitando, vel repri- Quando inde argumentandum.

mendo; multò magis ea inerit vis & & efficacia in *toto*; ſed non vice verſa, ſi ſufficiens ſit efficacia *totius*, idcircò ſufficiens erit efficacia *partis*; quòd ſi contra non ea ſit *totius* efficacia, ut effectum valeat producere aut inhibere, multò minùs hanc vim habebit *pars* unica, ſed non reciprocè, ſi pars ſola debilior, etiam plures conjunctæ invalidæ erunt.

10. Quando non licet procedere à majori ad minus & à min. ad maj.

Q. Quibus in negotiis hæc argumentandi methodus non valet?

R. In rebus quarum vis non in vehementiâ ſimpliciter, ſed in *Doſi*, id eſt determinatâ quantitate poſita eſt.

CAPUT IX.

De Relatione Diſſenſûs.

1. Definitio diſſentaneorum.

Q. Quid eſt relatio Diſſenſûs?

R. Relatio Diſſenſûs inter eas res concipitur quarum una non poteſt repræſentari, per eandem formam cogitandi atque altera.

2. Diſtributio.

Q. Diſſentanea quomodo diſtribuis?

R. Objecta inter quæ relatio extat diſſentiens, & quæ idcirco diſſimilia vel diſſentanea dicuntur; vel non obſtante

ſtante illo diſſenſû ſimul eſſe poſſunt ejuſdem rei attributa, vel propter illum diſſenſum ſimul eſſe nequeunt, in eodem ſubjecto; Illa *Diverſa*, Iſta *Oppoſita* nuncupantur. Oppoſita quorum unum multis opponitur; *Diſparatorum* nomine veniunt; Ea verò quorum unum uni tantùm opponitur, eôdem videlicet modô, *Contraria* dici ſolent. Contrariorum rurſus vel utrumque *Poſitivum* & reale eſt, vel eorum alterum *Negativum*. Poſitiva iterum talia ſunt, ut idea unius, ideam alterius neceſſariò inferat, ſic ut poſitâ primâ, ponatur ſecunda, ſublatâ tollatur & dicuntur *Relata*. Vel talia ſunt ut idea unius completa eſſe queat, nequaquam interveniente ideâ alterius, & dicuntur *Adverſa*. Negantium alterum negat ubique, & indiſcriminatim, vel in certo tantum ſubjectô, cui attributum negatum naturaliter competit, prima *Contradicentia*, poſteriora *Privantia* Logicis dicuntur.

Q. Limatæ illius in diſtinguendis Relationum ſpeciebus, ſubtilitatis, quæ eſt utilitas? 3.

R. Aliqua quidem, ſed æquivoca, ad quam enim Relationum claſſem, ad

Species Relationum.

ad quam ſpeciem objecta ſubjicienda ſint, tuto decidet cui demum ipſa objecta ſatis clarè & diſtinctè cognita fuerint, per vias deinceps indicandas.

Fallunt autem ſæpiſſime & accuratæ, omninoque neceſſariæ illi cognitioni, obices ponunt nomina perperam & præcipitanter ab imperito vulgo impoſita uſuque auctoritatem adepta, non evidentiâ rationis, ſed affectuum impetu & præjudiciis (*a*).

4. Q. Quis Canon fertur de *Contrariis?*

Canones contrariorum.

R. Contrarium contrariæ ſunt conſequentiæ, contrariæ cauſæ, contra effec-

(*a*) Hor. *Serm. L. I. S.* 3. ℣. 49.

Parciùs hic vivit: frugi dicatur ineptus
Et jactantior hic paulò eſt; concinnus amicis
Poſtulat ut videatur. At eſt truculentior, atque
Plus æquo liber. Simplex fortiſque habeatur.
Caldior eſt: acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res & jungit, junctos & ſervat amicos.
At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare. Probus quis

Nobiſ-

effectus, contraria adjuncta, intellige proxima; & ſi contraria ſpectentur ſecundum eandem rationem.

Q. Quæ circa *Adverſa* obſervas? 5.

R. Aliquando ea medium admittere *participationis*, id eſt partem aliquam utriuſque extremi continens; Iſtaque dicuntur *Mediata*. *Immediata* porrò nuncupantur, quæ tale medium non admittunt, nam de cetero non extant ulla, abſque medio negationis, quod de neutro terminorum participet. Medium duplex.

Q. Quomodo diſtinguis Contradictoria? 6.

R. Con-

Nobiſcum vivit; multùm eſt demiſſus homo: illi
Tardo, cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Inſidias,
pro bene ſano
Ac non incauto, fictum, aſtutumque vocamus.
Simplicior quis at eſt
Communi ſenſu plane caret, inquimus. Eheu
Quàm temerè in noſmet legem ſancimus iniquam!
Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis urgetur.

Contradictio explicita & implicita.

R. Contradictio eſt vel *explicita* quæ eundem, diſertis verbis, ponit terminum atque removet, ut *Corpus non Corpus*, Cogitans non cogitans: *Implicita* in qua termini ſecundi ſignificatio, primi evertit ſignificationem, unde vocatur *Contradictio in adjecto*, quia terminus adjectus contradicit priori; implicat, involvit contradictionem & negationem ejus cui adjungitur.

7\. Q. *Contradictionem* quomodo iterum diſtinguis?

Realis apparens.

R. In *Realem* & *Apparentem*.

Q. Quibus in caſibus per contradi-

8\. Contradictoriarum diviſionum uſus.

ctorias diviſiones procedere maximè juvat?

R. Cùm Oppoſitionum nulla ſit manifeſtior contradictoriâ: nullâque evidentiùs omne medium excludat (fingi quippè nequit inter eſſe & non eſſe medium ullum, nec ex utroque compoſitum, nec utrumque excludens) certè qui ad alicujus effectûs veram cauſam detegendam, per ceterarum omnium quæ fingi poſſunt remotionem, pervenire cupiunt, vel genuinum alicujus textûs ſenſum aſſequi per cæterorum omnium qui fingi poſſunt

ſunt refutationem, ne quid omittant & omittere videantur, per diviſiones contradictorias procedere atque cogitationes ſuas promovere debent.

CAPUT X.

De Relatione Dependentiæ & Independentiæ, de uno & multo, &c.

Q. Quid eſt Relatio *Dependentiæ?*

R. Dependentiæ Relatio extat inter res, quarum utraque, vel quarum altera talis eſt, ut nequeat ſola & ſine altera eſſe, aut fuiſſe. 1. Definitio Relationis Dependentiæ.

Q. Quotuplex eſt?

R. Duplex, nam vel terminorum alter, jam exiſtens, exiſtentiam alteri tribuit, vel quamvis alter alterum minimè producat, tales tamen ſunt ut ſeparatim exiſtere nequeant, ſed unius exiſtentia alterius exiſtentiam ſecum trahat. 2. Dependentiæ relatio duplex.

Q. Res illæ quæ non modò ſimul, id eſt eodem tempore concipiuntur, ſed revera ſimul ſunt, nec niſi ſimul eſſe poſſunt, nonne ea demum ſunt quæ unum quid faciunt? 3.

R. Om-

Unum quid ſit.

R. Omninò Realitas quippe aliqua unum quid facit cum aliis realitatibus, etſi numero pluribus, ſine quibus exiſtere nequit, vel quæ ſine eâ exiſtere non poſſunt.

4. Q. Unum an ſemper eôdem ſenſu dicitur?

Unum abſolutè & ſecundum quid.

R. Minimè, nam realitatum earum quæ ſimul ſunt & unum faciunt, nonnullæ alias ſupponunt ant inferunt, *abſolutè* id eſt tales ſunt ut hæ non poſſint eſſe ſine illis, tales ſunt *extenſio*, *diviſibilitas*, *mobilitas*, nam earum una non poteſt eſſe quin ceteræ ſint; vel *ſecundum quid* id eſt debent eſſe ſimul, ut ſint talis & talis res, hæc potius quam illa, Glacies v. c. non Aqua, Ignis non Lignum: Sic Motus concitatiſſimus, & particulæ rigidiuſculæ ſe ſe mutuò ſupponunt, ut ſit ignis; & pes pedem, ut ſit moles bipedalis.

5. Q. Definiviſti *Unum* definito *Idem*?

Definitio identitatis.

R. Idem *tripliciter* dicitur, nam aliquando *Idem manere* perinde eſt atque *ſubſtantiam pergere eſſe*; nam cùm ſubſtantia exiſtentiam habeat ſuam ſeorſim, ſibi propriam, aliam, ab exiſtentiâ cujusvis alterius rei, contradictio-

ctionem implicat ut exiſtentia alicujus ſubſtantiæ fiat exiſtentia alterius, nam eſſet id quod eſt & id quod non eſt; adeoque contradictionem implicat, ut ſubſtantia aliqua fiat alia ſubſtantia, id eſt deſinat eſſe eadem, dum non deſinit eſſe, deſineret quippe & non deſineret: Aliquando verò ut res eadem manere videatur, neceſſe eſt ut ſua attributa retineat, ſine diſtractione, ſine additione; Denique ea eſt improprietas ſermonis humani; ut levis nonnunquam ſimilitudo cum identitate confundatur,

Q. Quid opponitur Uni? 6. Uni oppoſita.

R. Separatum & Multum.

Q. Quid eſt *Separatum*?

R. Quod ab alio neque ſupponitur neque infertur. 7. Separatum.

Q. Quid eſt *Multitudo*? 8. Multitudo.

R. Eſt Unitas iterata.

Q. Quid eſt *Unitas*?

R. Idea Unitatis adcò ſimplex eſt, ut ſimplicior dari nequeat; non poteſt igitur definitione aliquâ evolvi & clariùs explicari, non enim comprehendit alias ideas, quarum elucidetur enumeratione, & quæ involutæ ſeparatim exponantur; non poteſt explicari 9. Unitas.

cari aliâ voce ejuſdem prorſus ſignificationis, non enim eſſet clarior, non poteſt explicari pluribus, partes ejus, quas non habet, enarrantibus.

CAPUT XI.

De Toto & Parte.

1. Q. Realitates quæ, numero plures, conjunctione ſui, unum quid faciunt, relatè ad illud unum quod conſtituunt, quomodo vocantur?

Definitio totius & partis. R. *Partes* & unum illud relatè ad eas vocatur *Totum*.

2. Q. Quotuplex Totum?

Totum ſimilare & diſſimilare. R. Totius plures ſunt diviſiones; & primo dividitur in *homogeneum* ſeu *ſimilare*, cujus partes ſunt ſimiles, & *heterogeneum* ſeu *diſſimilare*, partibus conſtans diverſimodè ſe habentibus.

3. Q. Quæ occaſione illius diſtinctionis obſervanda habes?

Reculæ. R. Duo, *primò* idem totum poteſt eſſe homogeneum uno ſenſu, heterogeneum alio reſpectu. *Secundò* quod de ſimilari toto verum eſt, id verum quoque

quoque eſt de ſingulis ejus partibus, quô ſenſu ſimilares ſunt.

Q. Quæ ſunt aliæ vocis Totius acceptiones notandæ; 4.

Totum eſſentiale, integrale & accidentale.

R. Si partium, quibus *Totum* componitur, nulla abſque cæteris exiſtere poſſit, totum illud vocatur *Eſſentiale*. Ubi verò aliæ removeri poſſunt, abſque aliarum interitu, Totum, illud vocatur *Integrale* ſi ſubſtantiis componatur; Totum verò *per accidens*, ſi partes illæ quæ ſalvis cæteris removeri poſſunt, accidentia ſint.

Q. Habes alias *Totius* diviſiones notatu utiles; 5.

Totum ex corporibus vel ex mentibus conſtans totum ſtrictè relativum.

R. Totum eſt *phyſicum* quod extenſis partibus conſtat contactu mutuô, eoque vel mediatô vel immediatô, unum quid facientibus. Totum eſt *Intellectuale*, quando intelligentes ſubſtantiæ, quamvis numero plures, in unum quid coaleſcunt, cogitationum videlicet *conſenſu mutuô*, qui vel *abſolutus* eſt vel *ſecundum quid*, & certò quodam reſpectu. Eſt denique totum *magis* adhuc *relativum* quod *morale* dici poteſt, ubi plures ſubſtantiæ unum quid dicuntur

tur conſtituere, propter eandem relationem, quam omnes habent cum una aliqua re; ſic opes alicujus hominis, natura quamvis diverſæ & locô, unum quid & totum quoddam facere dicuntur.

6. Q. Quæ circa Totum habes inſuper obſervanda?

Canones. R. Cùm nomina totius & partis relativa ſint, nihil impedit quo minus eadem res *totum* ſit quôdam reſpectu, & *totius pars* alio *ſenſu*. *Secundò* quod de parte verum eſt; id de toto verè dici poteſt. *Tertiò*, de quavis parte dici non poteſt, quod de toto affirmatur, nam partes conjunctione ſui, id poſſunt, quod ſingulæ non poterant. *Quartò* aliquando tamen toti ab unâ ſui parte denominato, id attribuitur, quod, propter diverſam partem, ei convenit.

CAPUT XII.

De ſubjecto & adjuncto.

1. Q. PArtes contuliſti cum Totô, eas nunc conferas inter ſe?

R. Par-

R. Partium illæ, quæ ſpectantur ut ceteras recipientes, *ſubjecti* nomine veniunt, quæ verò iſtis accedentes concipiuntur *Adjuncta* vocantur. Subjecti & adjuncti difinitiones.

Q. Subjectum & Adjunctum quotupliciter dicuntur? 2.

R. Dupliciter, vel *propriè* vel *abuſivè* & Metaphoricè. Propriè, quando partes reverà conjunguntur, & quidem Adjunctum dicitur *inhæſionis*, illud quod ſubjecti ſui quidam modus eſt atque ſtatus *Adhæſionis* verò quod ſubjecto ſuo, tanquam ſubſtantia ſubſtantiæ, adjungitur, *Metaphoricè*, res aliqua vocatur ſubjectum denominationum externarum. Diviſiones.

Q. Objectum alicujus contemplationis, tali ſenſu abuſivô & methaphoricô, inter ſubjecta recenſuiſſe mihi videntur? 3. Objectum cur tanquam ſubjectum ſpectatum fuerit.

R. Verè omninò, nam rem, de quâ congitabant, quaſi quoddam ſubjectum fingebant, in quod cogitatio caderet.

Q. Objecti quæ ſunt diviſiones notandæ? 4. Objectorum ſpecies.

R. Diſtinguitur *primò* in *Materiale* & *Formale*, *Materiale* dicitur, res

illa

illa cujus attributa explicanda ſuſcipiuntur: *Formale* ipſa attributa quæ explicantur *Secundò* diſtinguitur in Determinatum & Vagum. *Determinatum* objectum vocatur illud rei alicujus attributum, quod à conceptu præcisè repræſentatur. *Vagum*, res illa, quæ illud attributum complectitur, quamvis plura quoque alia contineat non cognita?

5. Q. Sunt aliæ *Adjuncti* diſtinctiones?

Adjunctum triplex. R. Adjunctum diſtinguitur in *Antecedens*, *Concomitans* & *Conſequens*, prout rem, quæ Subjecti nomine venit, vel præcedunt, vel ſequuntur, aut cùm ea ſimul exiſtunt, quæ ſola accuratè loquendo adjuncta dicuntur.

6. Q. Qui de adjunctis feruntur Canones?

Canones. R. *Primò* Talia ſunt adjuncta qualia patitur natura ſubjecti. *Secundò* unum & idem adjunctum nequid eſſe in duobus ſubjectis. *Tertiò* ſublatô ſubjectô tolluntur adjuncta. *Quartò* poſitô ſubjectô ponuntur adjuncta neceſſaria, & his viciſſim poſitis, ponitur ſubjectum, unde adjuncta vocantur *ſubjecti ſui ſigna*,

7. Signum. Signum quippe id eſt quod rem aliam à ſe repræſentat, notifi-

notificat, certificat. De ſignis ſchola multa refert quæ logicæ ſunt oneri potius quàm ornamento.

CAPUT XIII.

De Materia & Forma.

Q. ADjunctorum illud, per quod res aliqua eſt præſertim id ipſum quod eſt, quo nomine venit? 1.

R. Nomine *formæ*, talis que adjuncti ſubjectum *materia* dicitur. Definitio Materiæ & Formæ.

Q. Quid ſunt Materia & Forma in Phyſicis? 2.

R. *Materiam* alicujus corporis voco particulas quibus conſtat, *Formam* vero illarum particularum poſituram & motum. Materia & Formæ Phyſica.

Q. Materia quomodo detegitur? 3.

R. *Primò* In ſe inviſibiles partes arte oculis objiciuntur. Sic pulveris pyrii materia, quæ annihilata conjici poſſet, oculis ſubjicitur, quando ſpeculo uſtorio, granum unicum iſtius pulveris inflammatum, vitreum vas fumo replet. *Secundò* analyſi chimicâ, quæ partes, per mixtum diſſipatas, Qui ex viis materia innoteſcat.

in unam molem colligit.

Q. Forma quomodo detegitur?

4. Forma. R. *Primò* ad ſubitaneam rei generationem attendendo. *Secundò* quid diſſimilia valdè ſubjecta, in aliquâ tamen formâ convenientia, commune habeant annotando. *Tertiò* quid ſingulare habeant illa ſubjecta, in quibus aliqua forma maximè viget, obſervando. *Quartò* ſubjecta in quibus debilis eſt, cum illis in quibus viget inter ſe, comparando. *Quintò* examinanda præſertim ſubjecta, à quibus forma, in cujus naturam inquiritur, divelli non poteſt. *Sextò* colligendæ ſunt circumſtantiæ, quarum concurſus formam conſtituit. *Septimò* ex ſimilibus quibuſdam jam cognitis conjectura educenda, ad affines, ſed nondum cognitas, conſequendas. *Octavò* à ſimplicium examine ad eas demùm pergendum eſt, quæ ex plurimarum ſimplicium conjunctione manant.

CA-

CAPUT XIV.

De Cauſa & effecto in genere.

Q. RElationem quæ eſt cauſæ ad effectum mens noſtra quomodo inſtituit? 1. Relatio cauſæ ad effectum.

R. Quid poſſint res quas confert expendens, ſi obſervet earum unam in alteram agere poſſe, eamque afficere, Cauſæ inter eam & mutationem quam inducit relatio exurget; nam *Cauſa* dicitur id quod producit; *Effectus* id quod producitur. 2. Cauſæ & effectus definitio.

Relatio inter cauſam & effectum non eſt poſita in actu mentis res inter ſe conferentis, ſed extra mentem exiſtit. Gradus celeritatis & quantitatis mens ad calculum revocat, ſed gradus illi, ſive 1° plus & 2° minùs independenter a mente cogitante exiſtunt & agunt.

Q. Cauſa quotupliciter conſideratur? 3. Cauſæ duplex ſtatus.

R. Dupliciter, vel ut *Potens*, vel ut potentiam *exercens*.

4. Potentia. Q. Potentia quid eſt in ſe?

R. Aptitudo, idoneïtas.

5. Duplex. Q. Quotuplex?

R. Activa & paſſiva.

6. Activa. Q. Quid eſt *activa* potentia?

R. Poſita eſt in attributis, relatè ad effectus inde profecturos, ſpectatis.

7. Paſſiva. Q. Quid eſt *paſſiva*.

R. Eſt res ipſa, ut conſentanea cum tali & tali mutatione.

8. Actio. Q. Quid eſt *Actio*?

R. Status cauſæ, cùm ex non agente fit agens, ex potentes efficiens.

9. Paſſio. Q. Quid eſt *Paſſio*?

R. Mutatio à cauſa agente inducta.

10. Facilitas & difficultas. Q. Unde judicatur effectus *facilis* aut *difficilis*?

R. Productio facilior aut difficilior eſt, prout ejus realitas magis vel minùs eſt infrà realitatem cauſæ.

11. Vera. Q. Quis eſt veræ cauſæ certus *character*?

R. Vera cauſa eſt, quâ poſita, contradictionem implicat ut effectus non ſequatur.

12. Q. Cauſarum ſpecies, quæ apud Scholaſticos occurunt multiplices, ad quot capita revocares?

R. Cau-

R. Cauſæ in ſpecies diſtributæ fuerunt, *vel* propter diverſam naturam rerum ipſarum, quæ cauſæ ſunt, *vel* propter diverſum earum agendi modum, *vel* propter effectum diverſitatem. Cauſarum triplex diviſio.

CAPUT XV.

De Cauſa Primâ & Secundâ cogitante & extenſa.

Q. Quomodo dividis cauſam relatè ad naturam rerum quæ cauſæ ſunt? 1. Cauſa Prima & Secunda.

R. In *Primam* & *Secundam*.

Q. Quid eſt tibi cauſa *Prima*? 2. Primæ definitio.

R. Quæ realitatem, quâ poſitâ, implicat effectum non ſequi, habet non aliunde, ſed à ſe.

Q. Quæ ſunt hujus prærogativæ? 3. Prærogativæ quinque.

R. *Primò* nullis circumſcripta eſt limitibus, quid enim ei limites poſuiſſet, unde cætera omnia ſunt & quæ eſt ipſa realitas, *Secundò* ſummâ cum facilitate agit, facilitas quippe operandi

viribus reſpondet, quæ ſummæ ſunt. *Tertiò* volendo operatur, de ſummâ quippe facilitate tantò magis decedit, quò, inter voluntatem & effectûs exiſtentiam, plura intercedant neceſſe eſt. *Quartò* alligata non eſt ad cauſas ſecundas, ſed earum vicem ſupplere poteſt. *Quintò* ipſa materiam, quam variè efformet, ex nihilo educit, nam ejus vires ſunt immenſæ & difficultatum neſciæ.

Q. Quomodo probas deveniendum ad *Primam* nec in iis, quæ dicuntur ſecundæ, dari progreſſum in infinitum?

Exiſtentia.

R. Ubi multitudo ſupponitur, ibi collectio inſtitui poteſt; adeoque licet quærere, num collectio omnium cauſarum illarum ſubalternarum, quot quot huc uſque fuerunt, & momentum præſens præceſſerunt, habuerit cauſam vel non habuerit? ſi dicas habuiſſe, cauſam dari fateris omnium ſubalternarum, quæ conſequentur eſt ſuprema: Si dicas hanc collectionem cauſâ carere; certè cùm ejus quàm plurimæ partes cauſas habuerint, erit fatendum, illius collectionis partem aliquam ſine cauſâ eſſe à ſe di-

diverſa; & ſic cauſa prima agnoſcenda, in utramve partem te contuleris.

Q. Secundas quomodo dividis? 5. Secundarum diviſio.

R. In *Cogitantes* & *Extenſas*.

Q. Quas habet cogitans prærogativas ſupra corpoream? 6. Cogitantis prærogativæ decem.

R. Eſt *Immanens*. *Secundo* agit præeunte cognitione. *Tertio* electione. *Quarto* pro lubitu agit, vel non agit. *Quinto* facit hoc vel illud. *Sexto* iſtô vel aliô modô. *Septimo* finem ſibi proponit. *Octavo* inducitur motivis. *Nono* regitur normâ. *Decimo* flectitur exemplis.

Q. Quid intelligis per *Cauſam Immanentem?* 7. Immanens.

R. Quæ ſe ipſam variat, modificat, immutat.

Q. Quid faciat cauſa, cogitans, an ſemper cognoſcit? 8. Coggitans aliquando eſt incogitans.

R. Minimè, & quidem actionem ignorantia nonnunquàm ſimpliciter comitatur, nonnunquàm producit, ſive quid ad eam confert; ſecunda dicitur *Efficax*, prima *Concomitans*. 9. Ignorantia comitans & efficax.

Q. Quomodo aliter diſtinguunt Ignorantiam? 10. Juris & facti.

R. In Ignorantiam *Juris* & *Facti*; Illa Regularum ad quarum normam

motus noſtri ſunt componendi. Iſta Circumſtantiarum ſingularum, ignorantia eſt.

11. Vincibilis & Invincibilis

Q. Utraque quotuplex eſt?

R. *Vincibilis* & *Invincibilis*; Illam depellere in viribus noſtris ſitum eſt, iſtâ carere poſſe vires noſtras ſuperat.

12. Invincibilis quadruplex.

Q. *Invincibilis* quotuplex eſt?

R. Vel *abſolutè* vel *ſecundum quid.* Illa vires naturæ humanæ, ut eſt natura humana; Iſta vires ejuſdem naturæ, peccatô infectæ, ſuperat. Præterea eſt invincibilis, *in ſuo principiô*, quam depellere & quâ carere in nobis nunquam poſitum fuit, in actu verò *quodam* & ſingularibus circumſtantiis; ad quam excutiendam potuiſſemus anteà feliciter operam dare; id ſi maturè fuiſſemus aggreſſi.

13. Negativa & Privativa.

Q. Quid cenſes de diviſione ignorantiæ in *Negativam* & *Privativam*?

R. Commoda mihi videtur & *Negativa* locum habet ubi à judicando abſtinetur, *Privativa* verò in judicio, in quô non benè cognita componuntur aliter quàm ſunt.

14. Q. Nonne corporea cauſa actionem ſuam intendere & variare poteſt, cùm ejusdem corporeæ, non ſemper ſint

ſint iidem effectus ?

R. Ex *ſubjectorum* demùm, in qua operatur, *diverſitate* diſſimiles ſortitur effectus. Unde cauſæ corporeæ effectus diverſi ſint.

Q. Quænam eſt potiſſima affectio actionum, quæ ab intelligentibus & volentibus ſuſcipiuntur ? 15.

R. Quòd imputari queant, hoc eſt ab earum auctore ratio poſci queat, cur eaſdem fecerit. Imputatio effectuum.

Q. Nonne ob id ipſum *Morales* nuncupantur ? 16.

R Omninò, quod nempè iis mores boni vel mali cenſeantur; præmiô nempè & pœnâ dignæ judicantur, oppoſitè ad neceſſarias, quas *Phyſicas* dicimus, & in quas nec laus, nec vituperium cadit. Moralis & Phyſicæ diſcrimen.

Q. Sed omnis effectus moralis nonne habet cauſam Phyſicam ? 17.

R. Cauſam habet, quæ vi ſuæ naturæ effectum, ſuæ naturæ convenientem, neceſſitate quâdam ſortita eſt, ſed quem libertas ſuſpendere & inhibere potuiſſet. Conſenſus.

Q. Cauſa Intelligens & Volens quomodo aliter vocatur ? 18.

R. *Libera.* Cauſa Libera.

Q. Quonam alio nomine venit ? 19.

Contingens cogitans. R. *Contingentis*, nam quia cauſa liberè agens effectum producere, accelerare, & remorari pro libitu poteſt, contingit nonnunquàm ut producat, nonnunquàm ut inhibeat ſuum effectum.

20. Q. Sed illud nomen transfertur quoque ad corporeas?

Contingens corporea. R. *Metaphoricè* ad eam cauſam transfertur, quæ id habet commune cum *Liberâ*, quòd quis futurus ejus ſit effectus ignoratur; quamvis de cetero ille effectus à cauſis neceſſariò agentibus, & ad unum quid determinatis, neceſſariò producatur.

21. Neceſſitas. Q. Contingenti quid opponitur?

R. *Neceſſitas*.

22. Neceſſitas triplex. Q. Quotuplex eſt?

R. *Naturalis* quæ locum habet in rebus inanimatis. *Infallibilis* ſive eventûs certò futuri, quæ libertatem non evertit, & *coactionis*, cùm res intelligentes, invitô & repugnante animô, aliquod opus, vi majore externa perpetrare coguntur.

23. Coactio duplex. Q. Coactio quotuplex?

R. Strictè & latè dicta, *Strictè* dicuntur coactæ, actiones ad quas, ab externô principiô validiore, quis

adi-

adigitur membra ſua applicare; *latè coacta* dicitur, quam pro præſenti rerum ſtatu, quis equidem ſuſcipit, extra tales circumſtantias ſuſcepturus nunquàm.

Q. Qui putant ut actio aliqua mereatur dici *Libera* & liberè fieri, ſatis eſſe ſi ſponte fiat & lubens ſit, quamvis illa lubentia ſit effectus cujuſdam cauſæ ſuperioris, cujus efficacia, determinans voluntatem non ſentiatur. 24.

Libertatis eſſentia.

R. Minimè; Nam de eſſentia liberè agentis eſt, ut ipſe ſe ipſum determinet ad agendum; Non enim tantummodò non animadvertimus nos determinari ab aliquâ cauſâ à nobis diverſâ, ſed conſcii ſumus nos à nobiſmet determinari; Nulla autem certitudo ſuperat eam, quæ naſcitur ex intimo ſenſu. Eſt quippe omnis certitudinis fundamentum, nec certò concludimus ideam ſecundam eſſe affinem primæ atque intrà eam contineri, niſi quia eam affinitatem, hunc conſenſum inter idæas illas ſentimus; & ſi tali modo ſentiendo decipi poſſimus evaneſcit omnis veri & certi caracter. Vis ejus argumenti quô inducor ut credam me eſſe Intelligentiam verè

liberam, non in eo poſita eſt quod non ſentio me ab aliqua cauſâ mihi externa determinari, ſed quod ſentiam me à me ipſe determinari, me meam flectere voluntatem, me eſſe cauſam determinationis meæ, cauſam determinantem actum quô volo. Quod ſi talis ſenſatio intima ad probandum non valeat, undè eſt quod credam me exiſtere, quod me credam cogitare; Undè eſt quod credam ſubjacere Legibus, me rationem reddere teneri meorum actuum, quorum non ſum ipſe cauſa ſed ſubjectum, cumque acquieſcentia mea actibus illis habeat ſui cauſam, non electionem meam ſed quid me inducens ad eligendum molliter quidem ſed ineſitabiliter, ſemper adeoque me arguenti, me condemnanti, imperturbatè reſponderem, atque ſecurè & tutus innocentiâ meâ, reſponderem *Non feci*: atque inſtanti, ſed cauſam quâ flectebaris nullam obſervaſti reponerem equidem ſed inobſervata non minùs me ſuperior, non minùs efficax & certa de effectu ſuo à culpa & pœna omni me abſolvit.

Equidem diverſis in circumſtantiis poſi-

poſitus ſi fuiſſem facultates, quibus donatus ſum diverſam viam inviſſent, ſed circumſtantias illas ponere, penes me non fuit, uti nec eas, vi quarum fui determinatus effugere.

CAPUT XVI.

De Cauſa finali, impulſivâ, normali, & exemplari.

Q. Quid eſt Cauſa Finalis? 1. Cauſæ finalis definitio

R. Idea rei, cujus potiundæ deſiderio cauſa Intelligens ad agendum determinatur.

Q. Res illa cujus idea efficientem determinat, ſemperne bona eſt? 2. Finis quo ſenſu bonus.

R. Talis certè judicatur, adeoque bona eſt *vel* verè *vel* apparenter, unde Canon, *Finis & bonum convertuntur.*

Q. *Finis* nomen nonne plures habet acceptiones? 3.

R. Finis nomine venit ſæpè res illa cujus fruitio deſideratur, diciturque Scholaſticis. *Finis ſecundum eſſe reale.* Finis realis & intentionalis.

Idea

Idea vero ejus, *Finis ſecundum eſſe intentionale.* Iſta idea, maximè eſt cauſa finalis.

4. Operis & operantis. Q. Finis prættereà nomine nunc *uſus rei* indicatur, nunc *motivum* quo inductus fuit agens ad rem producendam; Ille *operis* vel *artis*, Iſte *operantis* vel artificis.

5. Terminus. R. Finis denique nomine venit, *ultimus rei* terminus, quia fine obtento, ultimum terminum operi ſolet imponere cauſa.

6. Q. Ubi quis plures ſibi proponit fines, horum omnium conjunctio quomodo vocatur?

Adæquatus & inadæquatus. R. Finis *adæquatus*, cujus ſinguli fines ſunt *partiales* & *inadæquati*.

7. Q. Quomodo ſolent illos fines diſtinguere?

Principalis & minus principalis. R. Qui maximè intenduntur, vocantur *principales*, qui minùs cupidè optantur *minus principales.*

8. Q. Suntne minùs principales unius generis?

Acceſſorii & ſubalterni. R: Non, Sed *acceſſerii* dicuntur ii, qui ſimpliciter minùs avidè intenduntur, *ſubalterni* verò, qui ad principalem ducunt, & *media* etiam vocantur.

Q. Sed

Q. Sed medium nonne dicitur, quod unicè in gratiam finis ſuſcipitur, minimè verò propter ſe quæritur? 9.

R. Tale medium *ſtrictè* dictum vocari poteſt; fines verò ſubalterni media ſunt *latè* & minùs accuratè ſic dicta. Media quomodo à finibus ſubalternis diſtinguuntur.

Q. Principalis & ultimus (ut pote ad quem cæteri feruntur omnes,) quotupliciter dicitur? 10.

R. *Abſolutè* qui nuſpiam refertur, *ſecundum quid* ultra quem in certo quadam genere, finis non datur. Principalis duplex.

Q. Ultimum illum quomodo diſtinguis? 11.

R. In materialem, & formalem, *Materialem* vocant finem, objectum quod, inter objecta, ultimum quæritur cui acquiſcamus. *Formalem* dicunt objecti illius fruitionem, ſive plenam fœlicitatem. Utimus duplex.

Q. Enarra Canones de fine? 12.

R. Qui deſtinat ad finem deſtinat ad media reciprocè. A fine eſt mediorum ordo, menſura, amabilitas. Propter quod unum quodque tale eſt, illud magis tale eſt; Præſtantia agentis ex dignitate finis, ſimul & ex aptitudine mediorum dijudicatur. Canones.

Q. Non-

13\. Q. Nonne res corporeæ dicuntur tendere ad ſuos fines?

Fines rerum corporearum. R. Ita, nempè cùm eò feruntur, quô à cauſâ intelligente deſtinatæ ſunt.

14\. Q. Ex quibus indiciis demonſtrabis directionem cauſæ intelligentis, in effectibus corporeis procreandis?

Quomodo detegantur. R. Quotieſcumque ad aliquem effectum plures concurrunt cauſæ, tales ut earum quâlibet ceſſante, fruſtrà ſint cæteræ, nec tamen eo nexu inter ſe devinctæ, ut, unâ poſitâ cæteras poni neceſſe ſit, utque earum nonnullæ cæteras produxerint; certè cùm talis concurſus non ſit neceſſarius, nec conſequenter ex cauſa neceſſariâ, cauſam aut *nullam*, quod abſurdum, aut *Liberam* habeat neceſſe eſt *Intelligentem* & *Sapientem*, quæ talem concurſum ordinare ſciverit & potuerit.

15\. Cauſæ impulſivæ. Q. Quas vocas Cauſas *Impulſivas*?

R. Res illas quæ mentem ad agendum incitant, nec tamen bona ſunt, quæ ſua facere cupiat.

16\. Interna & externa. Q. Quomodo diſtinguuntur.?

R. In externas & internas. *Externa* eſt quid à nobis diverſum, *Interna* eſt diſ-

diſpoſitio noſtra, quâ idonei reddimur ad rei externæ vim percipiendam. 17.

Q. *Occaſio* nonne meritò impulſivis accenſetur ? Occaſio.

R. Omninò, nam hoc nomine venit aptitudo temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum quæ attentè conſideratæ, efficiunt, ut mens ſe ſe agendum accingat.

Q. Ubi objectum actioni tuæ recipiendæ idoneum, ad agendum determinat, præſtantiâ & vi ſuorum attributorum, talis cauſa impulſiva quomodo vocatur ? 18.

R. *Meritum.* Meritum.

Q. Quid eſt Cauſa Normalis ? 19.

R. Cognitio regulæ mentem bene diſpoſitam ad agendum flectens, & efficiens ut motus ejus ſint tales & tales, hoc potius quàm illô modô determinati. Norma.

Q. Quid eſt Cauſa Exemplaris ? 20.

R. Quæ idea ſui intelligentem cauſam excitat ad imitationem. (*a*) Exemplaris.

G 6 CAP.

(a) Hor. *Carm. Lib. III.*

Annoſa quid non imminuit dies ?
Ætas parentum, pejor avis, avis, tulit
Nos nequiores mox daturos

Pro-

CAPUT XVII.

De Cauſâ Intenſâ & Remiſſâ, ſolitariâ & ſociâ, & principali, ſubalternâ, inſtrumentali, proximâ & remotâ.

1. Q. PRo diverſo modo agendi quomodo dividis cauſas?

R. Pri-

Progeniem vitioſiorem.
Vina fere dulces oluerunt mane camænæ
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus:
Ennius ipſe pater nunquam, niſi potus, ad arma
Proſiluit dicenda.
Hoc ſimul edixit, non ceſſavere Poëtæ
Nocturno certare mero, potare diurno
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quod ſi
Pallerem caſu, biberent exſangue cuminum.
O imitatores, ſervum pecus! ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movêre tumultus?
tantum hoc ediſcere, quo me
Ægrotare putas animi vitio? Accipe: primùm
Ædificas: hoc eſt, longos imitaris, ab imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis & idem
Cor-

R. Primò in *Intenſam* & *Remiſſam*, validam & debilem, pro actionis diverſo gradu. Intenſa & Remiſſa.

2\. Secundò. In *Solitariam* & *Sociam*; Illa ſola, hæc aliis conjuncta effectum procreat. Solitaria & Socia.

Q. Solitaria quotuplex dicitur?

3\. R. Vel ſola *abſolutè* quæ nullam prorſus adjunctam habet, vel ſola *ſecundum quid*, cui nulla accedit ejuſdem Solitaria duplex.

Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum & inceſſum: qui ridiculus minùs illo?
An quodcumque facit Mæcenas, te quoque verum eſt,
Tantò diſſimilem, & tantô certare minorem?
Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,
Unus ubi effugit matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliſerit. Illa rogare,
Quantane? num tandem, ſe inflans ſic magna fuiſſet
Major dimidio. Num tanto? Cum magis atque
Se magis inflaret: non ſi te ruperis, inquit
Par eris. Hæc a te non multùm abludit imago
Non dico horrendan rabiem. Cultum
Majorem cenſu. Teneas, Damaſippe, tuis te.

dem ordinis & generis, ad productionem effectûs ſimili agendi viâ procedens.

Sic ſola erit in ſuo genere culter, v. c. quem ſolum adhibuerit inſtrumentum, ad conſtructionem operis, artifex.

4. Socia latè & ſtrictè. Q. Et Socia quomodo dicitur;

R. Pari modo *Strictè* ſociæ ſunt, quarum idem eſt agendi modus, & ejuſdem generis vel ordinis: & ſociæ *latè* dicuntur quæ quidem ad effectûs productionem conferunt, ſed diverſô modô.

5. Totalis. Q. Sola quomodo aliter dicitur;

R. *Totalis.*

6. Q. Nonne & alia eſt hujus nominis acceptio;

R. *Totalis* cauſa dicitur quoque *Sociarum conjunctio.*

7. Canones. Q. Quis de Totali fertur Canon?

R. *Ejuſdem effectus non poſſunt eſſe plures cauſæ totales*, nam ſi una totum efficit & integrum effectum, cæteræ nihil producunt.

8. Q. Nonne tamen dari poſſunt *Cauſæ Totales*, plures unâ?

R. Imò, ſed ordinis diverſi, quarum ſingulæ erunt totales in ſuo gene-

nere, totum attingent effectum, vim ſuam in omnes ejus partes exerent. Sic ſcriptura tota à manu, tota à calamo.

Cauſæ totales quo ſenſu plures.

Q. *Sociæ latè dictæ* quomodo dividuntur; 9.

R. *Principalis* dicitur, ea cujus directionem cæteræ ſequuntur, quæ *Miniſtræ* vocantur.

Principales & Miniſtræ.

Q. Quomodo differt Inſtrumentalis à *Miniſtrâ*? 10.

R. Inſtrumentalis nullum habent in ſe motum, nec agit niſi quantùm agitur & impellitur.

Inſtrumentalis.

Q. Sed Cauſæ intelligentes nonnunquàm inſtrumentis accenſentur? 11.

R. Ita quidem, ſed Metaphoricè, quoties ſcilicet ſuperioris mandata tam accuratè exequuntur, ut iis non magis addant, nec de iis magis detrahant, quàm ſi merè paſſivæ, omni prorſus activitate deſtituerentur.

Metaphoricè dicta.

Q. Recenſe Canones inſtrumentalis; 12.

Canones inſtrumentalis.

R. Principalis cauſa etiam per mala inſtrumenta benè operari poteſt.

Inſtrumenti vis pretium, utilitas conſiſtit in uſu, Inſtrumentum ex uſu æſtimandum non ex abuſu deprimendum.

Q. Qui

13. Q. Qui caſus occurrunt, in quibus uſu inſtrumenti abſtinendum propter abuſum?

Abuſus quando uſum tollat.

R. Si inſtrumento carere poſſis, abuſusque noxa uſûs emolumenta longè ſuperet, & plus ſit mali in abuſu, quàm boni in legitimo uſu, tali abſtinere ſatius eſt.

14. Q. Subordinatæ iterum quomodo dividuntur?

Cauſa per ſe & per accidens.

R. Ubi omnes feruntur quò principalis tendit, dicuntur *ſubordinatæ per ſe*, ubi verò ſubalternarum nonnullæ principalis impulſus detorquent & turbant, dicuntur ſubordinatæ *per accidens*.

15. Q. De iſtis qui feruntur Canones?

Canones.

R. Quod eſt cauſa cauſæ in ſubordinatione per ſe, eſt etiam cauſa cauſati.

Secundò. Effectu cauſa per accidens neque commendatur neque culpam contrahit.

Tertiò. Quæ per accidens fiunt non ſunt curæ arti.

17. Q. Subalternarum ea inter quam & effectum nulla intercedit, quomodo dicitur?

R. *Proxima* oppoſitæ ad alias, inter-

ter quas & effectum cauſæ interce- Proxima &remota.
dunt, quæ *Remotæ* dicuntur.

17. Proxima duplex.

Q. Proxima quotuplex?

Q. Duplex *abſolutè* talis, inter quam & effectum nulla prorſus intervenit, *Secundùm quid*, nempe inter eam & effectum aliæ quidem intercedant, ſed non ejuſdem ordinis.

18. Remota directa.

Q. Et remota quotuplex?

R. Remotarum aliæ proximas movent & hæ *ſtrictè* & *directè* ſunt ſubordinatæ, ut ignis motu ſuô vicinum aërem agens, cujus agitatio membra commovet; aliæ verô proximarum actioni tantummodò viam muniunt;

19. Cauſa ſine qua non.

Iſtæque rurſus, *ſubordinatæ latiùs & indirectè* ſic dictæ, *vel* ſimpliciter obices removent; ut ventus diſpellens nubes opacas, cauſa eſt lucis ſerenioris, quæ cauſa dicitur *ſine quâ non*; *vel* materiam ipſam, in quam proxima agere debet, præparant, quamvis proximam illam minimè determinent, ſic aratio & comminutio terræ, aptiorem eam reddit excipiendæ pluviæ, quæ ſales ejus exſolvet, & radiis ſolaribus, qui eos ex capſulis ſuis diffractis educent, ut cum

20. Occaſio.

cum ſeminibus fermentare poſſint, ad quam cauſarum ſpeciem pertinet *occaſio*.

21. Q. Ubi cauſa principalis, ſubordinatarum diverſas ſeries agens, diverſos effectus procreat, quomodo vocatur?

Univerſalis & particularis. R. *Univerſalis*, *Particulares* verò dicuntur quæ univerſalis impetus modificant, & determinant, vel pro quarum natura & diſpoſitionibus, ipſa univerſalis actionem ſuam variè temperat.

CAPUT XVIII.

De Cauſa procreante, conſervante & corrumpente; Univocâ & æquivocâ; & de Canonibus cauſarum in univerſum.

1. Q. Ex effectuum diverſitate quæ diverſa nomina cauſa ſortitur?

Procreans R. Si actione cauſæ res incipiat eſſe, cauſa illa dicitur *Procreans*, ſive id omne, quod effectus eſt, produxerit,

rit, ſive in tantum, quô ut res nova conſideratur. Si verò mutatio inducta in rem aliquam, deteriorem in ſpeciem & ignobiliorem eam converterit, talis mutationis, talis effectûs, talis formæ cauſa *Corrumpens* dicitur. 2. Corrumpens.

Ubi vero actio cauſæ, in rem aliquam exiſtentem, effecit ut res illa permaneat in ſuo ſtatu, ſpeciem nomenque ſuum immutatum retineat, talis cauſa *Conſervans* dicitur, ſic reſpiratio aëris cauſa eſt conſervans vitæ. 3. Conſervans

Q. Sed non ne conſervantis nomine venit, quæ ne res intereat providet, quamvis rem non attingat, ſed num quâ ope egeat tantum obſervat? 4.

R. Conſervans dici poteſt *Metaphoricè* & *moraliter*, id eſt conſervare volens, & ad conſervandum parata, nam in moralibus intentio ſæpè tantumdem valet atque executio. Conſervans moraliter.

Q. Ad quas iterum *Cauſa conſervantis* nomen extenditur? 5.

R. Ad eam quæ ſpeciem, per individuorum propagationem, conſervat, & quæ nocitura ſunt removet. Conſervans ſpeciem.

Q. Quam cauſam vocant *Univocam*? 6.

Univoca. R. Ea cui effectus ſimilis eſt, id eſt ejuſdem ordinis, ejuſdem naturæ.

Q. Quam Æquivocam?

7. Æquivoca. R. Ea quæ effectum producit à ſe diſſimilem.

8. Q. Supereſt ut Canones cauſas in genere, vel etiam ſingulas, ſpectantes recenſeas?

Canones. R. Nemo dat quod non habet; Nihil eſt idcirco in effectu quod prius non extiterit in cauſâ, aut pariter ſi ſit cauſa univoca, aut perfectiori modò, ſi ſit cauſa æquivoca.

Nihili nullæ ſunt proprietates; non entis nulla eſt actio, adeòque nulla res ſibi exiſtentiam dedit.

9. Q. Quis ſenſus hujus Canonis, *Qualis cauſa talis effectus?*

Similitudo cauſæ & effectus. R. Duplex, nam *vel* denegatur effectui perfectio major quam cauſæ, *vel* præcisè aſſeritur, quòd cauſam effectus referat ſimilitudine, quô poſtremô ſenſu ad cauſas quæ juſſu & imperiô, non applicatione ſui agunt, extendus non eſt, ſed ad corporearum proximos & immediatos effectus, quos ipſa cauſa attingit, reſtringi debet,

10. Q. Quis hujus, poſitâ cauſâ ponitur effectus, ut ſublatâ cauſâ tollitur effectus.

R. Quò ſenſu ponitur cauſa eodem ponitur effectus; cauſa agens actualem producit effectum, cauſæ agere paratæ effectus proditurus eſt citiùs aut tardiùs, prout citiùs aut tardiùs cauſa ad agendum ſeſe accinget. Poſitâ cauſâ ponitur effectus.

Q. Quando per cauſam effectus detegitur, quomodo id vocatur? 11.

R. Argumantatio à *Priori.* Argumentatio à Priori.

Q. Quando cauſa per effectum manifeſtatur? 12.

R. *A poſteriori.* A poſteriori.

Q. Quam maximè inſiſtendam putas? 13.

R. Exiſtentia cauſæ prior noſcitur per contemplationem effectûs. Notitia & conſtitutio effectûs pleniùs manifeſtatur per cauſam. Cognitio effectûs ducit ad Theoriam cauſæ; Cognitio cauſæ ad praxim & perfectionem effectûs. Utriſque conjunctio.

Q. Quomodo detegitur cauſa? 15.

R. Progreſſum generationis attentè contemplando. Via cauſæ detegendæ.

Q. Si plures menti occurrant cauſæ, ſingulæ ad productionem effectûs idoneæ, vera quomodo detegetur? 15.

R. Si quæratur, quæ cum effectu propoſitô indivulſè adhæreat. Electio veræ inter plures Probabiles.

Caput XIV. & ſequentia impenduntur maxima ex parte, in æquivocationibus ſolvendis, quibus profectò non modò vulgus indoctum, ſed Schola locum dedit.

PRIMÆ PARTIS

LOGICÆ

SECTIO TERTIA.

Ideas dirigens, quatenus, pro diverſo percipiendi modò, variant:

CAPUT PRIMUM.

De Ideis Claris & obſcuris, diſtinctis & confuſis, nitidis, facilibus, & familiaribus.

Q. IDeas luſtravimus quatenus pro diverſitate Facultatum & Objectorum diſcrepant, ſunt nunc expendendæ, quatenus pro diverſô modô concipiendi, diverſæ formantur? 1.

R. Omninò; nam idem objectum eadem facultas non ſemper eôdem modô percipit. Tranſitio.

Q. Quæ igitur ſepecies idearum ex diverſo percipiendi modo naſcuntur?

Ideæ claræ, obſcuræ, diſtinctæ, confuſæ.

R. Plures, atque earum potiſſima diviſio eſt in *Claras* & *Obſcuras*, *Diſtinctas* & *Confuſas*.

3. Claræ Ideæ definitiones.

Q. Quomodo ſolet definiri Idea Clara?

R. *Clara* dicitur idea qua vividè afficimur vel, quæ menti attendenti præſens eſt.

4. Q. At Cum idea ſit actus ſui conſcius, ſequitur omnem ideam menti præſentem eſſe & mentem vividè afficere, non enim eſſet idea, niſi eſſet vivida, ſuique ſenſum excitaret.

Ideæ omnes claræ.

R. Fateor, adeoque agnoſco omnes ideas claras eſſe, eo ipſo quo ſunt ideæ.

5. Perſpicuitas & obſcuritas ideas tituli relatari.

Q. Quænam ergo dicuntur Obſcuræ?

R. *Minus claræ*, nam illa nomina relativa ſunt, nec omnes ideæ pari gradu vivaces exſtant.

6. Q. Undè nam igitur factum ut nonnullæ abſolutè obſcuræ creditæ fuerint?

Cauſæ

R. Ex tribus Cauſis. *Primò* frequen-

quenter uſu venit aliquot ideas repugnantes conjungi in unam ideam totalem, cujus totalis ſingulæ partes nobis ſunt notæ; at copulationis & conſenſûs earum, qui nullus eſt, qui impoſſibilis eſt, perceptionem nullam habemus; Cujus idcircò conſenſus obſcuram ideam nobis ineſſe ſupponimus, cùm reverà nulla ſit: tales ideas copulare voluimus, ſed non copulavimus; *Secundò* ſupponentes ſingulis vocabulis ideas ſuas reſpondere, vocabulis ideas reverà excitantibus, claras reſpondere dicimus, nullas verò excitantibus, quia nihil ſignificant, obſcuras res & ideas deſignari credimus. *Tertiò* ſupponentes omnem ideam, quæ ex aliquâ ideâ deducitur, intra ideam contineri, Principium ſi norint, Conſequentiarum quas non vident, obſcuram ideam ſe habere credunt. At certè Idea, Perceptio, continere nihil poteſt quod non percipias, quod non ſentias; ſed iis ineſſe, quod iis non ineſt ſupponunt, & dicunt ſe obſcuram ideam habere ejus rei, cujus nullam habent.

tres cur ideæ creditæ fuerint abſolutè obſcuræ. Orſini Inſtit. log, p. 133. Dici poteſt omnem ideam quatenus clara diſtinctam eſſe; confuſam quatenus obſcura

Q. Ideam compoſitam, cujus non

ſolùm partes omnes percipiuntur, ſed nexus quoque illarum partium intelligitur, quomodo vocares?

Idea nitida. R. *Nitidam* quaſi nullam habentem admixtam obſcuritatem, nam ſæpe partes ſingulæ claræ ſunt, at earum nexus obſcurus, id eſt, non intellectus, non perceptus manet? ſive nullus ſit, ſive ea non ſit mentis perſpicacia, ut eum aſſequi valeat.

8. Q. Ideæ *Diſtinctæ* & *Confuſæ* nomina cenſes nè pariter relativa?

Diſtinctæ & confuſæ idæ nomina relativa. R. Omninò; nam omnis idea, omnis perceptio ſentitur non eſſe eadem cum ea à qua eſt diverſa, & quæcunque diverſa eſt, eo ipſo ſentitur diverſa; nam ſentitur qualis eſt, cum ſit actus ſui conſcius. Sunt tamen aliæ aliis diſtinctiores, id eſt, diverſæ & diſſimiles faciliùs concipiuntur, vel, quia *vivaciores* attentionem magis ſibi conciliant, vel, quia *plures diverſitates* includunt, & magis diſcrepantes.

Eo ipſo quod omnis idea repræſentat, adeoque clara eſt, ſequitur hoc reſpectu omnem ideam quoque veram eſſe, eſt enim id quod eſt, & non

non aliud ab eo quod eſt menti de ſe ipſa affirmatur atque eodem reſpectu omnis perceptio evidens eſt, ſentit enim immediate & abſque ope ullius auxilii, ſe eſſe talem perceptionem nec quid ſit talis perceptio dubitare poteſt. Erramus ſupponentes & judicantes non ex viſis ſed ex ſuppoſitis. Ideam obſcuram nonnulli vocant quæ ad rem requiſitam deinceps rurſus agnoscendam non ſufficit. At tales ideæ compoſita eſt, ejuſque nonnullæ partes ex memoria elapſæ ſunt. Eſt igitur obſcuritas in illa idea, non attributum ideæ, ſed abſentia.

Q. At Idea cujus objectum ab aliis non facile ſecernitur, nonnè merito confuſa dicitur?

R. De vocabulis nolim contendere, quamvis, accuratè loquendo, Ideæ alicujus *Objectum* id demum ſit, quod ab illa repræſentatur, id porro quod repræſentatur, cognoſcitur tam clarè tam diſtinctè ac ipſa idea cognoſcitur; rerum quippe notitia tota eſt ex ideis noſtris, & conſequenter ſi diſtincta ſit idea, diſtincta quoque erit objecti, ab ipſa repræſentati notio.

Objectum non minus diſtinctè noſcitur quam idea.

Confuſa eſt cognitio quæ componitur ideis claris & diſtinctis ubi non eo ordine memoriæ impreſſæ fuerunt, quæ earum evolutionem facilem reddat.

10, Q. Idearum maximè clararum quæ ſunt prærogativæ?

Ex claris ſolida cognitio & fœcunda,

R. Quò magis claræ, id eſt magis vividæ noſtræ perceptiones ſunt, tantò facilius iis mens noſtra ſeſe attentam præbet; amat quippe affici, & modò quâ afficitur ſenſatio non ſit moleſta, ea tantò magis placet, quò vivacior eſt, ut pote magis conſentanea naturæ mentis, quæ in eo poſita eſt ut percipiat, ſentiat; ſeſe affici conſcia ſit; vivaces igitur attentionem ſibi, ſuâ vi, conciliant, dum languidæ propemodùm prætereuntur inobſervatæ, at quò levior attentio, & minùs diuturna eò imperfectior cognitio, & in errorem lapſus facilior.

11. Q. Ei qui ideas ſibi claras, maximèque diſtinctas comparare cupit, quid obſervandum præcipis?

Diſcrimen ponendum ſe.

R. Diligenter attendat, num vocibus, quas uſurpat, ſenſus aliquis ſubſit, nec nè; num vocibus quidem ſin-

ſingu'atim ſumptis aliquid ſingnificetur, conjunctione vero earum nihil. Vocabula præſertim, quæ longo uſu familiaria evaſerunt, quaſi aliquid ſignificarent, inexaminata ne prætermittantur. duló inter ideas & vocabula,

Q. Sed quâ ratione habitus ille comparabitur, firmus & ad uſum promptus, vocabolorum ſenſu deſtitutorum à ſignificantibus ſecernendorum? 12.

R. Opera diutura detur iis ſcientiis; quarum omnia vocabula determinatas habent & accuratè definitas ſignificationes Mathematicis v. c. Aſſuetus quippe Intellectus noſter ideis, ubi vocabula audiet inania, acquieſcere non poterit. Ejus faciendi adminiculum,

Q. An ſunt & alia monita ad Idearum perſpicuitatem & diſtinctionem facientia? 13.

R. Quod alicujus, ex mentis facultatibus, objectum proprium eſt; ne nitamur aliá cognoſcere. Sic quid ſit ſenſatio, quatenus eſt modificatio mentis, non poſſumus meliùs doceri; quam ſentiendo & ad ſenſationem noſtram attendendo, eſt quippe id ipſum quod ſentimus; at dum Facultates applicentur objectis ſuis attente atque ordine,

Intellectu vel imaginatione, ſenſationis illius ideam efformare nitimur, quaſi rei cujuſdam nobis obverſantis & à nobis diverſæ, fruſtrà & irritô labore ſeſe torquet mens noſtra. *Secundò* properanter non ſunt objecta percurrenda, perceptiones quippe excitantur eò vividiores quo magis attendimus. Inattentus pauca videt, & ſupponens tamen ſe vidiſſe omnia, ſimilia prorſus fingit & ſupponit objecta in pluribus diſcrepantia. *Tertiò* præpoſterô ordine, ardua compoſita, cognitu difficilia meditari ne aggrediamur, neglecta faciliorum contemplatione, & ſimpliciorum prævio examine.

14. Q. Cùm tanta ſit perſpicuitatis utilitas miror eſſe qui obſcuris delectentur?

Obſcuritas accepta quatuo de cauſis.

R. *Primò* quibus aures noſtræ afficiuntur propoſitiones, eas ab oratore ſupponentes intellectas, tantö auguſtiorem de ejus eruditione opinionem concipimus, quo minùs talium verborum ſenſum aſſequi poſſumus. *Secundò* cum primis ſtudiorum initiis ea ſola facilia experiremur, quæ erant obvia & admodum ſim-

ſimplicia; difficilia verò ardua, & non mediocriter intentam attentionem poſcentia viderentur, quæcunque ſcientiis continentur maximè curioſa & ſcitu maximè digna, factum ut notiones *magni* & *æſtimandi*, cum notionibus *ardui* & *intricati* ſic permiſcuerimus, ut quidquid non arduum, exile; quidquid difficile, magnum videatur. *Tertiò* Magna præclara, quibus cognoſcendis nata eſt, mens humana quærens; cùm talia nondum ſit nacta, ſentiatque ea latere, adeoque ſibi obſcura eſſe, eadem conſequenter in obſcuris, quibus afficitur, ſermonibus fortè deliteſcere ſuſpicatur, quæ ſuſpicio, blanda, ſpemque excitans, fovetur & quia placet mentem nanciſcitur acquieſcentem. *Quartò* qui clarè docet, ille nonnunquam nulla docere, ſed antehac nota revocare tantummodò videtur, nam quæ clarè exponuntur promptè quoquè percipimus; quæ promptè aſſequimur, familiaria ſtatim nobis fiunt, atque inter jam pridem cognita recenſentur, taliaque recordari potiùs quam doceri nobis videmur. 15.

Q. Qualis tibi videtur Canon *Cla-*

rum ab obſcuro non debere abſorberi?

Canon ſcientiæ certitudinem muniens.

R. Utiliſſimus inter omnes & certiſſimus, quem ſequimur perpetuò, quamvis ad eum non attendentes. An eſt aliquis hominum, qui dubitet de cogitationis ſuæ exiſtentia, quod, quâ ratione naſcatur, ignoret? qui dubitet de exiſtentia corporis ſui, quod quæſtiones de ſpatio & diviſibilitate diſcutere non valeat. Quod non habeo, non impedit quò minùs habeam quod habeo.

Objectio cujus ignorantia noſtra fundamentum, nullius eſt ponderis adverſus clarè demonſtrata.

16. Q. *Faciles* & *Familiares* Ideæ nonne cum *Claris* coincidunt?

Idea facilis per ſimplicitatem & familiaris per aſſuetudinem.

R. Raro quidem diſſociantur, differunt tamen, nam eſt *Facilis* quæ ſine operâ & niſû, propter ſuam ſimplicitatem excitatur. *Familiaris* quæ promptè recurrit, propter habitum; quòd ſcilicet frequenter fuerit excitata.

17. Q. Hæc adeò limatim ſecernere, an eſt alicujus utilitatis?

Non familiares immeritò cenſentur obſcuræ.

R. Omninò: nam familiaris quæ non eſt obſcuritatis ſuſpecta fit ſæpè immeritò, ſenſuque velut deſtituta reiici-

rejicimus, quorum ſignificationem non facilè aſſequi valemus, quòd res meditandas exhibeant, longè diverſas, ab iis quibus contemplandis ſumus aſſueti. Non minori rurſus errore clararum albo expungimus, quæ propter exquiſitam ſimplicitatem, ut explicatione non egent, ita explicari non poſſunt. (*a*)

Cic. de F. IV. 25.

(*a*) Utrum igitur tandem perſpicuiſne dubia aperiuntur, aut dubiis perſpicua tolluntur. Si propterea vitia alia aliis majora non ſunt, quia ne ad finem quidem bonarum eum, quem facitis quicquam poteſt accedere; quoniam perſpicuum eſt vitia non eſſe omnium paria, finis bonorum vobis mutandus eſt.

CAPUT II.

De ideis ſimplicibus & complexis, Completis & incompletis; adæquatis & inadæquatis; Totali & partiali, vagá & illimitata, Indefinitâ, limitatâ, finitâ & determinatâ.

Q. SPecies Idearum ex diverſô percipiendi modô naſcentes
1. enarrare pergitô?

R. Sunt Ideæ ſimplices & Complexæ, Completæ & Incompletæ; Adæquatæ & Inadæquatæ; Vagæ, & Determinatæ.

Q. Quænam Idea tibi dicitur *ſimplex?*

2. R. Eſt quæ abſolutè talis eſt, & quæ relatè ita vocatur. *Abſolutè ſimplex* nullam involvit, & tales ſunt idea entis, unitatis, &c. numerò paucæ. *Comparatè ſimplex* dicitur illa idea, quæ an ſit compoſita non attenditur; *Compoſita* verò quæ ut aliis conſtans ſpectatur. Sic idea hominis erit ſimplex relatè ad ideam hominis docti, & compoſita idea mentis, relatè ad ideas conceptûs, affec-

Ideæ ſimplices duplici ſenſu.

affectûs, aliaſque proprietates & attributa mentis, indicantes.

Q. Quid circa compoſitas ideas monendum habes? 3.

R. Quod ſint plerumque errorum ſcaturigines, dum ſibi oppoſitas & ſeſe alternatim evertentes involvunt. Præſertim vero in errorem talibus ideis conjicimur, ſi unica voce deſignari ſolent; tunc quippè tantùm abeſt ut examinemus, num in compoſitione ſubſiſtere poſſint, ut nequidem an tales ideæ ſint compoſitæ, attendamus.

Compoſitæ errorum origo.

Q. Partes quibus conſtat *Idea complexa* quomodo diſtinguis? 4.

R. In omni complexione eſt idea quædam *Principalis*, ſubjecti vicem tenens cui cæteræ omnes *apponuntur*.

Ex principali, & appoſita conſtat Idea complexa.

Q. Appoſitæ iterum quomodo diſtinguuntur?

R. In eas quæ *Principalis* ideæ attributa ſimpliciter *evolvunt*, & eas quæ atributis in principali idea neceſſariò contentis, aliquid *adjiciunt*, quod ab ea abeſſe poteſt, quarum complexionum prima *Explicatrix* ſecunda *Reſtrictiva* & determinans dicitur. 5.

Complexio explicatrix determinans

Q. Quo-

6. Q. Quomodo definis *Ideam Incompletam ?*

Incompletæ definitio. R. Cui aliquid deeſt, ut objectum ipſi reſpondens exiſtere poſſit.

Q. Quomodo *Completam* definis?

7. *Completa quæ.* R. *Completa* tot realitatum ideas complectitur, quot conjungi debent, ut exiſtens res aliqua ſtatuatur.

8. Q. Quæ *Incompletarum* cauſæ?

Incompletarum origo mens finita. R. Imperfectio mentis noſtræ, quæ cum unô actu, rem aliquam, ut eſt cæteris ſimilis, aliò, ut à cæteris eſt diverſa, percipiat, ejuſdem rei duos effingit conceptus, quos diverſos & diverſis etiam reſpondere objectis, quia actibus diverſis formantur, ſupponit.

9. Q. Quid intelligis per *Ideam adæquatam ?*

Adæquata omnia percipit attributa rei alicujus. R. Quæ omnia quæ in ſubjecto aliquo continentur contemplationi objicit.

Quid per *Inadæquatam ?*

10. *Inadæquata quædam tantùm.* R. Quæ alicujus rei aliquot tantùm attributa aſſequitur.

Q. Juxta definitionem *Adæquata* Idea eadem, videtur cum *Totali ?*

11. *Totalis* R. Et eſt ſi accuratè loqui velimus; non enim totalem rei alicujus

ideam

ideam percepiſſe verè dici poteſt, qui partem tantùm attributorum, quibus res illa conſtat, cognoſcit: At cùm rei integræ nomen impoſitum fuerit, & nomina quoque partibus ejus ſeparatim fuerint indita inde factum ut qui nomen uſurpat rem deſignans integram, integræ rei ideam ſibi ineſſe credat, cùmque plenam & perfectam notitionem rei illius, cujus integræ dicit ſe formare ideam, non habeat, diſtinguit ideo *totalem* ab *adæquatâ*; cum potiùs dicere deberet, aliud, eſſe *totali nomen* imponere, aliud *totalem* ejus ideam habere.

ideæ nomen, accuratum & inaccuratum.

Q. Et inde nonne plurimi errores pullulant? **12.**

Partialis dum habetur totalis confuſionis origo.

R. Omnino, nam *partialem* Ideam Totalem ſupponentes, quod de rei alicujus parte duntaxat, eaque ſeparatim ſpectatâ, verum eſt; de re totâ affirmatur. Vel Parti cuipiam id tribuitur, quod Parti diverſæ unicè convenit.

Q. Quænam Idea dicitur *Vaga*? **13.**

Vagæ definitio.

R. Alicujus rei Vagam Ideam dicitur habere, qui rei illius aliquod attributum percipit, cui attibuto plurimæ res, in cæteris diverſæ ſimilia attributa continent.

14. Q. Definito *Determinatam?*

Determinata — R. Determinata dicitur idea alicujus rei, quæ attributa rem illam à cæteris diſtinguentia exhibet.

15. Q. Sunt nè Vagæ *pariter Vagæ*, & Determinatæ *pariter Determinatæ?*

Vagæ, & determinatæ appellationes relativæ. — R. Minimè, nam Idea eò magis determinata eſt, quo paucioribus in rebus attributa, quorum eſt repræſentamen, occurrunt: Contrà eò magis vaga fit, quò pluribus in rebus, atque à ſe invicem magis diſcrepantibus, attributum, cujus talis idea vaga Repræſentamen eſt, continetur.

16. Q. Vaga quotuplex dicitur?

Vaga poſitivè, & negativè. — R. Vaga *poſitivè* dicitur quæ pluribus ſubjectis pariter applicatur, ut Idea Trianguli, pariter omnibus & ſingulis competens. *Negativè* vero vaga, quam cui ſubjecto applicare debeas, neſcis, ut Idea arboris è longinquo ſpectatæ, de quâ an ſit Ceraſus, Pyrus, Caſtanea &c. ambigis.

17. Q. Cur Vaga frequens occaſio erroris?

Vaga injicit in errorem ancipiti ejus applicatione. — R. Quia cùm Vagæ uni ſubjaceant plurimæ finitæ, evenit ut quod pluribus applicari poteſt, id omnibus & ſingulis applicetur.

Q. Quibus aliis nominibus effertur Vaga idea? 18. Illimitata & indefinita.

R. Dicitur & *Infinita* & *Illimitata*.

Q. Et quæ ſunt aliæ nomenclationes Determinatæ? 19. Limitata & finita.

R. Vocatur *Limitata* & *Finita*.

Q. Nonne *Res Singulares* quandoque limitantur? 20. Republicanos rei ſingularis ex atributo quopiam limitatio.

R. Ubi videlicet indicamus rem aliquam ſingularem ſecundum unum ex attributis ſuis conſiderari, & talis limitatio *Reduplicatio* dicitur.

CAPUT TERTIUM.

De ideis Concretis & abſtractis & de univerſalibus.

Q. EX percipiendi modô ideæ, ſunt Concretæ & Abſtractæ quæ requirunt definitionem? 1. Definitio Concretæ & Abſtractæ.

R. *Concreta* conſiderat ſimul ea attributa quæ conjunctim exiſtunt, attributorum verò conjunctim exiſtentium *Abſtracta* idea ſeligit aliquod, ſeparatim contemplandum. 2. Abſtractionum diviſio.

Q. Abſtractio quotuplex?

R. Triplex, *Formalis*, quæ partem ſubſtantialem, à parte itidem ſub-

ſubſtantiali ſeorſim, percipit. *Modalis*, quæ modum unicum contemplatur ſepoſita ſubſtantiâ, cujus eſt modus & cæterorum, conſideratione. *Univerſalis*, quæ ea ſeligit attributa ſeorſim contemplanda, quibus, plurimis in rebus, ſimilia occurrunt, unde naſcuntur Ideæ Univerſales, id eſt, pluribus applicabiles.

3. Aliud ſeparatim concipere, aliud percipere ſeparatim.

Q. Nonne errat qui, quæ ſeparata non ſunt, ſeparata tamen contemplatur?

R. Sine dubio, ſed qui attributum aliquod concipit, minimè attendens ad alia quibuſcum jungitur, non continuò illud attributum ſeparatum concipit.

4. Cautiones

Q. Quid igitur hic cavendum?

R. *Primò* obſtractis noſtris conceptibus non ſunt fingenda objecta quæ reſpondeant, ſeparatim exiſtentia. *Secundò* poſtquàm quid res aliqua valeat per aliquod ex ſuis attributis, ſeparatim ſpectavimus, quid poſſit per alia, quæ ſimul poſſidet, inſpiciendum. *Tertiò*, Adeoque non eſt judicium ferendum de re tota ex uno aut altero attributo ſeparatim ſpectato, quod tamen ſæpè peccatur in ſpe-

ſpeculativis & maximè in practicis.

Q. Ex abſtractione, quàm vocas Univerſalem, nata videntur decantata illa ſcholæ *Univerſalia?* 5.

R. Omninò nam Intellectus noſter finitus, diverſis actibus ad res cognoſcendas ſeſe applicat, qui ſi erga res plurimas eòdem modo verſentur, *Communes, Univerſales* & *Prædicabilia* vocantur, ſuntque Idearum, quibus res ipſas concipimus, nihil aliud quàm depletiones, nam *generales ideas* detrahendo, *ſpeciales* addendo effingimus. Univerſalium origo.

Q. Univerſalia nunc diſtribue? 6.

R. Ideæ illæ pluribus applicabiles objectis, vel ſunt ideæ ſubſtantiarum, modorum ve ad inſtar ſubſtantiæ ſpectatorum, vel ſunt ideæ modorum, aut ſubſtantiarum, quæ ad inſtar modorum ſpectantur. Univerſalium diſtributio in ſuas claſſes.

Q. Pleniùs expone quibus uteris terminos? 7.

R. Subſtantia ſpectatur ad inſtar modi, quando ſpectatur ut alteri conjuncta, & *Modus* ad inſtar ſubſtantiæ, quando ſpectatur ut aliorum modorum ſubjectum. Explicatio illius diſtributionis.

Q. *Univerſales* Ideæ ſubſtantiis applicatæ, quomodo dividuntur? 8.

R. Idea Univerſalis quæ applicatur Ideis iterum ſpectatis ut univerſalibus, *Generalis* nomine venit. Quæ verò conſideratur ut ſubjacens Ideis Univerſalioribus, *Speciei* appellationem ſortitur inde patet eandem Ideam, diverſo reſpectu, generis & ſpeciei nomine efferri.

Genus & Species.

9. Q. Ideas Univerſales attributorum modalium quomodo dividis?

Differentia, Proprium & Accidens.

R. Tripliciter, pro ut illa attributa ſunt. 1. *Prima*, *vel primis annexa*, vel *ab iiſdem ſeparabilia*, inde enim naſcuntur, *differentia*, *proprium* & *accidens*.

10. Q. Quis uſus ex ideis illis univerſalioribus elici poteſt?

Uſus univerſalium.

R. Rerum ſub generibus ſuis collocatio, atque in ſpecies ſuas diviſio, docenti uſum præſtat, memoriamque juvant.

11. Q. An igitur ab Ideis Univerſalibus ſemper incipiendum eſt?

Univerſales Ideæ an ſingularibus præponendæ & quandò poſtponendæ.

R. In rebus *Contingentibus*, *Facti* & *Phyſicis*, ubi à ſingulorum examine, ad univerſales propoſitiones proceditur, in naturam generis inquirere, ſingularium conſtitutione nondum penſitata, officit nonnunquàm per-

perſpicuitati & veritati. In rebus vero neceſſariis (quarum ſcientia ſita eſt, in propoſitionibus aptè applicandis) cum fructu adhiberi ſolet. Res contingentes quae hoc vel illo modô eſſe poſſunt, quales ſint ſcire ſi cupiamus, ſingulatim contemplandæ ſunt & ſenſibus uſurpandæ; At quod attinet res neceſſarias, quales eæ ſunt ex ideis earum ſufficienter & certò cognoſcimus, cognoſcimus quoque ex earum ideis quales eſſe debeant, quidve naturæ earum conveniat aut repugnet.

Q. In Idea Univerſali quænam ſunt diſtinguenda? 10.

R. *Comprehenſio* & *Extenſio*. Comprehenſionis nomine veniunt *Ideæ partiales*, quibus *Complexa* Idea aliqua conſtat, quæ idcircò detrahi non poſſunt, quin Idea Totalis evertatur, *Extenſionem* verò dicimus, Ideas quibus applicari poteſt.

Comprehenſio & extenſio.

CAPUT ULTIMUM.

De Sermone.

1. Sermonis virtutes & vitia in perceptiones diffunduntur.

Q. CUr de Sermone Logico incumbit dicendum?

R. Quia tanta inter ſermonem atque cogitationem connexio deprehenditur, ut vix ullius rei formemus ideam, cujus appellatio menti protinus non occurrat, unde fit ut ſinceros accuratus, diſtortos verò conceptus, ſermo ineptus excitet.

2. Sermonis definitio Logica.

Q. Sermonem quomodo definis?

R. Hoc nomine mihi veniunt ſoni, vel characteres ab Hominibus Deove inſtituti ut eſſen tſigna conceptus mentis declarantia & ſenſibus objicientia.

3. Definitio accurata.

Q. Et quis eſt tibi *Sermo accuratus*?

R. Qui veritati ponendæ in apertum maximè congruus & appoſitus eſt.

4. Cauſæ.

Q. Quænam, ut Sermo talis eſſet, requirerentur?

R. Ut cogitationes rebus, & Sermo cogitationibus rurſus, aptè reſponderent.

5. Q. An in Sermone uſitato inſunt iſtæ virtutes? R. Mini-

R. Minimè, nam 1. quandoquidem vulgi opiniones rarò ſtent cum rerum veritate, ſigna quibus ad conceptus ſuos exprimendos utitur, non poſſunt à rebus ipſis non eſſe diſſona. 2. Vocabula uſu trita non quid res in ſe ſint, ſed quales relatè nos indicant. 3. Conceptibus mutatis vocabula tamen mutata non fuerunt. Vitia.

Q. Unde igitur certus fies num cuipiam voci ſenſus idem, olim qui nunc, ſubjectus fuerit? 6. Cautio.

R. Hiſtoria illorum temporum evolvenda, atque in opiniones quæ floruerunt inquirendum erit, omiſſaque omni præconceptâ notione, ad auctorum lectionem vacuus, accedere debes, quaſi ipſis eſſes coætaneus, voceſque ſuas explicantibus, attendere, quaſi tunc primùm tibi occurrerent, nullamque adhuc dum ſignificationem ipſis affinxiſſes.

Q. Quid circa ſenſuum perceptiones indicantia vocabula ſingulariter obſervas? 7. Senſationum nomina qui bus in ſpecie nævis laborent.

R. Quod, 1. Vulgi opinionibus erroneis accommodata ſint. 2. Non ſatis determinata, ſed diverſas ſenſationes, quæ ab eodem objecto ve-

 niunt,

niunt, nomine uno ſignantia. 3. Actus compoſitos ſimplici nomine denotantes in unum plura confundunt.

8. Q. Quænam tibi de Sermone præcipienda videntur relatè ad *Imaginatricem Facultatem?*

Sermonis in imaginationem vis decipiens.

R. Cavendum ne Sermo grandiloquens & magnifica verba Facultati Imaginatrici imponant, fucumque faciant; proni cum ſimus ad ſuſpicandum, reale quid & magnificum ſub iis latere verbis, quibus Imaginatio tumida vehementer percellitur.

9. Q. Quid habent ſingulare, vocabula *Intellectuales* conceptus deſignantia?

Qomodo vocabulis non ſatis aptis tardetur intellectus.

R. A rebus corporeis deſumpta, earumque ideas animo objicientia, puram remorantur Intellectionem.

10. Q. Affectibus deſignandis deſtinata ſuum-nè etiam periculum habent?

Vocabula affectus indicantia iisdem vitiis laborant atque nomina ſenſationum.

R. Habent, nam 1. Diverſis vocibus ſæpè eadem, iiſdem ſæpe diverſa ſignificantur. 2. Unô nomine veniunt affectus valde compoſiti. 3. His vocibus non quales ſint in ſe res ſed quales videantur nobis declaratur.

11. Q. Conſideravimus Sermonem relatè ad Facultates eundem nunc

nunc excutianus relatè ad Objecta.

Tranſitio.

R. Hic plurima monenda occurrunt, nam.

12. Vocabula inania.

1. Vocabulis etiam maximè tritis aliquandò nihil ſubjicitur.

13. Interna cum externis confundentia.

2. Quaſi objecta à nobis diverſa notarent ſpectantur, quæ ſunt ſenſationum & commotionum indicia mera. 3. Diſtincta, iiſdem; poſitiva, negativis; ſimplicia compoſitis, & viciſſim deſignantur.

14. Rebus ſermo non eſt analogus.

4. Fucum faciunt nomina rebus captum noſtrum ſuperantibus impoſita, dum in nominum illorum prompta memoria, ipſam rerum ſcientiam ſitam eſſe putamus.

15. Rebus incompertis temerè impoſita nomina fallunt.

5. Singulis vocibus ſeorſim ſpectatis ſenſus aliquando ſubeſt, nullus verò iiſdem conjunctis.

16. Contradictoria colligunt.

6. Non ſatis diſtinguunt inter denominationem *Internam*, quæ in objecto diſpoſitionem & mutationem aliquam ſupponit & *Externam* cùm aliquid de objecto dicitur, quod ſive affirmetur ſive negetur manet immutatum.

17. Cum abſolutis confunduntur

7. Abſolutè exprimunt quæ comparatè tantum ſunt intelligenda.

8. Multiplicata, pro relationum diverſitate, nomina occaſiones ſunt

relativa & comparata.

rerum ipſarum multiplicandarum.

18. Cum abſolutis confunduntur.

Q. His erroribus quâ cautione obviam eundum eſſe putas?

R. Non eſſe temerè ſupponenda inter voces analogia, nec ſapienter nomina rebus impoſita fuiſſe præoccupatâ opinione ſtatuendum eſt.

19. Relativa & comparativa entia multiplicant contra veritatem.

Q. Quid intelligis per *Sermonem Perſpicuum*?

R. Cogitata exhibentem atque in ideas noſtras alios facilè adducentem.

Q. Quà arte comparatur?

R. 1. Perſpicuum Sermonem adhibituro ante omnia, rerum ipſarum, de quibus ei verba facienda ſunt, notiones clarè formendæ & accuratè diſponendæ.

20. Diffidendum ſermone tanquam plerumque inaccurato.

2. Eligenda verba quæ nec plus nec minùs dicant, quàm eſt in mente loquentis, quæ vocabula dicuntur *apta*.

21. Perſpicui definitio.

3. Ne hæreat impeditus auditor in affingendis ſingulis vocabulis ſuis ideis, ſint voces illæ *Uſitatæ*?

22. Requiſita ideæ claræ.

Q. *Apta* vocabula quâ ratione conſequeris?

R. *Vaga* vel *Determinata* eligenda prout ideæ noſtræ vagæ erunt vel Determinatæ; nam 1. *Generalibus* uten-

23. Vocabula ...nta.

utendum quoties ſpecialia errandi occaſionem præbere ſolent. *Specialia* uſurpanda quoties generalia confuſionem, & ex confuſione errorem, invehere videntur. 24. Uſitata.

2. Propria translatis præponendo. 25.

3. Sermonem adhibendo, qui non modo *Principales* ſed *Acceſſorias* quoque auditori ideas objiciat. Vagis quare utendum & determinata quandò præponenda.

Q. Quænam vocabula tibi dicuntur *Propria*?

R. Quæ id ſignificant cui ſignificando primùm inſtituta ſunt. 26. Propriorum definitio.

Q. Et quænam vocas *Tranſlata*?

R. Quæ ad aliquam rem ſignificandam primò aſſignata, ad aliam indicandam quaſi mutuò ſumuntur, propter primæ illius cum iſta ſecunda intercedentem affinitatem. 27. Translatorum definitio.

Q. Cur ſolent eſſe obſcuriora?

R. Quia *omne Simile eſt etiam Diſſimile*, ſecernereque operoſum eſt, quid res, unde deducitur translatio, commune habeat cum ea quæ ejus nomine venit, quid diſcrepans. 28. Obſcuritas ex idearum quas objiciunt multitudine.

Q. An *Translatis* obſcuritas ſemper adjacet?

R. Minimè, nam quædam tranſlationes, uſu aſſiduô, hanc vim a- 29. Uſu diſcutitur.

deptæ ſunt, ut notionem intellectualem, abſque illis ambagibus, excitent, nullâ adjuncta corporea.

30. *Translatis quomodò uti liceat.*

Q. Hoc caſu exceptô improbas ergo translatarum uſurpationem?

R. Nequaquam: licitum quippè exiſtimo claræ, verbiſque propriis conſtanti, rei alicujus expoſitioni, figuratam orationem adjungere, quâ auditoris affectus commoveantur; ſed veritatis luce prius ſit perfuſus, ut qua de cauſa commoveatur; ipſe videat ſciatque.

31. *Translati & figurati ſermonis vis unde.*

Q. Cur *Figurata Oratio* affectibus excitandis aptior eſſe ſolet?

R. Quia ad ſtatum indicandum ſolitô commotiorem, ſunt quoque phraſes eligendæ ab uſurpari ſolitis recedentes; Res affectu commotus ideis ſuis ampliat, debet ergò terminis in majus augentibus eaſdem exprimere.

32. *Cur ſententiæ adeò varient per ſtyli diverſitatem.*

Q. Unde fit ut ea ſententia quæ terminis enunciata figuratis placet, tanquàm inanis ſæpe contemnatur ſimpliciore indicata ſtylo.

R. Stili diverſitatem, non modo ubi dictio figurata mutatur in ſimplicem, ſed quoque ubi Synonimorum alte-

alterum alteri ſubſtituitur, vel quod in una lingua prolatum fuit in aliam transfertur, cujus rei potiſſimas rationes haſce concipio.

1. Etiam ſi *diverſa* vocabula *idem objectum* deſignent, non tamen ſingulis illis vocabulis Ideæ *pariter claræ*, pariter *Plenæ*, pariter *determinatæ* excitantur.

2. Quamvis Synomina eaſdem *Principales* ideas indicent, non tamen eaſdem *acceſſorias* menti objiciunt.

3. Sententiam, & ſignificationem in ſe probatam, comitatur non rarô luſus quidam verborum, per ſe quoque amœnus atque acceptus; tunc igitur, ſi quid mutes in verbis, manet quidem integrum pondus ſententiæ, ſed perit ex parte lepos orationis.

4. Evenit denique nonnunquàm ut ex illô verborum luſu pompave omnem illam vim deducat oratio, quâ verbis atque cortici hærentes afficit. Talem igitur orationem diverſo idiomate aut ſimpliciore ſtilô ſi exponas, inanis protinus & nudata, quo ſolo fulgebat, cortice judicabitur. Ne quis igitur inani pompâ aut fallaci lepore, fucum ſibi aut aliis faciat,

 fierive

fierive patiatur, ornatum in ſimplicem
33. ſtylum commutare operæ pretium eſt.

Q. Et ubi Auctor minùs clarè (utens ſcilicet verbis translatis & figurata oratione) mentem ſuam aperuit, quæ ſequenda ratio ut tutò eam aſſequaris?

Figurata oratio in ſimplicem convertenda.

R. Sunt ejus Propoſitiones etiam commutandæ & ſimplicibus terminis efferendæ, quâ in converſione, à
34. vero ne aberremus, duces ſequendi ſunt, *Materia* de qua agitur, *Tempora* Auctoris, *Indoles* linguæ qua uſus eſt, *Paralleli* ejuſdem Auctoris loci, *Concluſio* denique examinanda, nempè num ei confirmandæ ſententia verborum ſimplex, an figurata,
35. ſit accommodata magis.

Ad talem converſionem adminicula.

Q. In dubio nonne in *ſenſum literalem* magis propendere æquum eſt?

Uſus præ omnibus æquendus.

R. Non, ſed in *frequentiſſimum & ſolemniorem*; Impropria enim & figurata nonnullarum vocum ſignificatio, eſt magis in uſu quam literalis
36. & propria.

Q. Credideram res ope Sermonis demùm explicari atque intelligi, quas tamen ſupponis jam cognitas lucem ſermoni fœneraturas?

Res cur

R. Omninò, nam de re prorſus

incomperta quæ proferretur enunciatio haudquaquàm intelligi poſſet : de re, quæ tibi explicanda ſuſcipitur, ut aliquid ſaltem noſcas, omninò neceſſe eſt; non poſſunt autem, quæ certo jam cognitis ſuperadduntur, ea evertere. — verbis illuſtrandis ſerviant.

Q. *Principalis* Idea, alicui voci ſubjacens, quænam dicitur? — 37.

R. Quæ rem ipſam nitidè indicat, ut in ſe eſt? — Principalis Ideæ definitio.

Q. *Acceſſoriæ* quænam vocantur? — 38.

R. Quæ loquentis de illa re judicium & in illam affectus declarant. Acceſſoriæ porrò, vel in ſingulis vocibus vel phraſibus & ſententiis integris, adjacent, atque in hiſcè aptè declarandis ſita eſt *Eloquentiæ* pars potiſſima. Evenit autem ut quædam voces olim honeſtæ, propter adjacentes ipſis cum tempore, inverecundiæ aut contemptus notas, ſalva honeſtate non ampliùs pronuntientur. — Acceſſoriarum definitio.

Q. Cùm ideæ illæ Acceſſoriæ varient, unde tutò cognoſces quæ huic aut illi voci adjaceant? — 39.

R. Id me edocebunt, *Uſus*; *Lexica*; *Critici*, *Hiſtoria*; *Paraphraſes*; locique *Paralleli*; quod unâ voce hic, — Acceſſoriarum cognoſcendæ

rum rationes. pluribus alibi, deſcribentes.

40. Q. Cùm uſitata (de quibus tertio tuo monito No. 20.) ſæpè minùs apta ſint, quòd notiones impeditas & obſcuras vulgus tritis vocibus alligaverit, quid facies, ſi talium copiam lingua, qua uteris, non ſuppeditet?

Quæ facienda ubi apta non poſſunt conciliari cum uſitatis. R. *Aut* minùs eſſe aptas, quibus uteris meliorum inopiâ, monebis, *aut* ab alia linguâ terminos mutuaberis, *aut* Periphraſes adhibebis.

Q. At *Nova* fingere nonne licebit?

41. Technicorum terminorum utilitas. R. Licebit modò declinetur affectationis ſuſpicio, nam Technicæ voces & Artibus ſingulis propriæ, brevitati ut pote conſulentes, attentionem juvant, efficiuntque ut demonſtratio faciliùs & pronptiùs intelligatur. *a*

42. Obſcuritatis tollendæ, remedia. Q. Uſitatorum obſcuritas quibus aliis rationibus tolli poteſt?

R. Definitione & Diviſione.

Q. Quid intelligis per nominum *Definitionem?*

43. Definire nomina quid. R. Brevem & accuratam, quæ iis ſubjacet ſignificationis declarationem.

Q. Quotuplex eſt?

44. Definitio duplex. R. Duplex. *Alterâ* declaras quem ipſe ſenſum verbis his & illis adſcribas; *al.*

altera indicas quem iiſdem uſus loquendi magis receptus alligaverit.

Q. Quænam ſunt ſpeciei primæ ſingularia? 45. Primæ ſpecie prærogativæ.

R. Arbitraria eſt, & in principium aſſumi poteſt.

Q. Nullis ne exceptionibus limitantur illæ prærogativæ? 46.

R. Imò; nam *prima* ſic intelligi debet, ut ne ab uſitatâ vocabulorum ſignificatione, novis & ex arbitrario confictis definitionibus, recedatur: menti quippe vis quaſi infertur, & conſequenter attentio turbatur, ubi voci cuipiam, communi conſenſu alligata idea detrahitur. *Secunda* verò ut ſtet vox in decurſu orationis, eo ſenſu conſtanter uſurpari debet, quo definita eſt. Cautiones.

Opera danda eſt ut verbis utamur quam uſitatiſſimis, & quam maxime apertis hoc eſt res declarantibus. Non raro occurrunt voces maxime uſitatæ & quas definire ſupervacuum videtur, quoniam ſimpliciſſimæ exiſtimantur, quæ tamen non eodem ſenſu ab omnibus accipiuntur.

Q. Sunt ne voces omnes definiendæ? 47.

R. Om-

R. Omnia definiendi prurigine; pleraque non notiora ſed obſcuriora evaſerunt, & ſimplicium notionum nomina pluribus exponi nequeunt quæ merè ſynomina non ſint; non enim ſimplex notio, plura attributa involvit definitione evolvenda.

Definiri non debent clara, & ſimplicia.

48. Q. Quid confert ad voces elucidandas, *Diviſione* uti?

Quid ſit diviſio.

R. Ubi vox aliqua plurimos & diverſos ſenſus complectitur, eſt monendus auditor, an ſecundum omnem ſignificationem, an ſecundum ejus partem tantùm ſumi debeat.

49. Q. Unde fit ut eidem voci ſignificationes diverſæ ſubjaceant?

Senſuum multiplicium cauſa duplex.

R. Vel quia eadem vox res diverſas deſignat, vel quia diverſos ejuſdem reſpectus indicat.

50. Q. Vox *Vaga*, quia pluribus applicatur rebus, quotuplex eſt?

Ambiguitas Triplex.

R. Triplex; *Univoca* nempe, ſi ſimilibus eodem ſenſu imponatur, ſi verò diverſis, ſed inter quas ſit affinitas, connexio & ſimilitudo communis nomenclationis fundamentum, *analoga* dicetur talis vox. Si nihil tale occurrat merè *æquivoca* erit.

Q. Ut

Q. Ut *Analogarum* vocum diſcu- 51
tiatur *Ambiguitas*, quid faciendum?

R. Sunt periphraſibus ſingulæ diſtinctè & ſimpliciter exponendæ.

Periphraſibus tollitur ambiguitas.

Q. Æquivocatio quotuplex?

R. Duplex *aperta & occultior*, 52.
illa ſenſibus, iſta ſola ratione dijudicatur.

Æquivocatio duplex

Q. Inter æquivocationes dijudi-
catu non faciles, quænam maximè 53.
imponunt?

R. Maximè, æquivocatione occulta in errorem inducunt voces amplæ ſignificationis, quarum ſignificatio ſenſim mutata fuit; dum non ſatis attendentes mutationi, eadem, prorſus, iis vocibus nunc deſignari, quæ olim, nobis perſuademus. Imponit quoquè maximè æquivocatio, ubi notionis alicujus compoſitæ nomen nunc has nunc illas, relationes & proprietates deſignat; quô ſenſû nomina *Comparativa* plerumque æquivoca eſſe ſolent.

Æquivocæ voces amplæ ſignificationis propter multiplices reſpectus ab iis indicatos.

Q. Ut quò ordine perceptiones 54
ipſas luſtravimus eôdem vocabula excutere abſolvamus, ſupereſt aliquid addendum de Univerſalibus, Particularibus, & Singularibus.

R. *Pri-*

Vox diſtributiva aut Collectiva.

R. *Primò*, vox *Univerſalis* vel *Collectiva* eſt, ut *Totum* vel *Diſtributiva*, ut *unuſquiſque*; imò eadem vox *nunc* diſtributiva, *nunc* collectiva eſt ut *omnis*. *Secundò*, Diſtributiva particula vel *Genus* partitur in Species ſuas, vel *ſpecies* in Jndividua: prior diſtributio dicitur in *genera ſingulorum*, cùm ſcilicet non in ſingula individua, ſed in certos individuorum ordines, vox diſtribuitur; poſterior in *ſingula generum* vocatur.

Diſtributiva duplex.

Obſcurus eſt ſermo cùm eo quid deſignetur non intelligimus; obſcurus etiam quando objectum quidem apertè deſignat, ſed illius objecti naturam non aperit.

S E

SECUNDÆ PARTIS
LOGICÆ
QUÆ EST
DE JUDICIO.
CAPUT I.
Judicii naturam & partes exponens.

Q. QUÆ & quot facit mens humana dum Judicat? 1. Mens judicans tria facit.

R. Mens judicans, *Primò* rerum duarum pluriumve Ideas contemplatur. *Secundò* harum relationibus, ac inter ſe habitudinibus attendit. *Tertio* Ideas hoc modo collatas conjungit vel ſeparat, ſeu conjunctas agnoſcit vel ſeparatas fatetur:

Q. Quis

Q. Quis vero horum mentis actuum *Judicii* eſſentiam præciſe conſtituit?

2. Acquieſcentia judicio maxime eſſentialis.

R. Certè, cùm poſt examen diuturnum, Judicium vel feramus, vel ſuſpendamus, patet Judicii naturam eô demùm actu mentis conſtitui, quô ideas conjungit vel ſeparat, vel conjunctas aut ſeparatas cernit & fatetur. Ubi Idearum conjunctio agnoſcitur *Judicium Affirmativum*, ubi earum ſeparatio animadvertitur *Negativum* dicitur. Mens igitur nondum certò videns, ſed adhucdùm inquirens in agitatione eſt: at judicans agitari deſinit, ac quieſcit.

3. Propoſitio & Enunciatio,

Q. Judicium verbis expreſſum quomodo vocatur?

R. *Propoſitio* ſive *Enunciatio.*

Q. Quibus nominibus veniunt *Partes* ejus verbis expreſſæ?

4 Subjectum prædicatum &Copula,

R. Notio cui alia adjungitur ſive à quâ alia ſecernitur, vocatur *ſubjectum* aut *ſuppoſitum*, adjuncta aut ſeparata notio, *Attributum*, vel *Prædicatum*; Actus mentis, notiones illas conjunctas aut ſeparatas agnoſcentis, *Copulæ* nomine venit.

5. Q. An tres illæ partes diſtinctis vo-

vocabulis ſemper enunciantur ? 5. Non totidem verbis exprimuntur.

R. Minimè. Sæpè enim *Copula*, ſæpius *Subjectum* non rarò *utrumque* ſubintelligitur, Attributum quoque in ipſa copula latet.

Q. Circa Subjectum & Prædicatum quinam feruntur *Canones* ? 6. Canones.

R. Duo, primò *Prædicatum à Subjecto diverſum eſſe debere* monent. ſecundò *Subjectum & Attributum ſe ſe invicem declarare* & illuſtrare.

Q. At de re aliquâ nonne ſolent affirmari ejus attributa, quæ ab ipſa illa re non differunt ? 7. Prædicatum à Subjecto quomodo differat.

R. Attributa à Subjectô differunt ſaltèm ralatè ad cognitionem noſtram, ſive cognitionē docentis ſive diſcentis.

Q. Quomodo vocantur illæ Propoſitiones quarum ſubjctum ab attributo nullô reſpectu diſcrepat ? 8. Nugatoriæ Propoſitiones

R. *Nugatoriæ.*

Q. Et ubi Subjectum & Prædicatum eodem terminô efferuntur, ſed plus dicentes in Attributo quàm in Subjecto ? 9. Intenſivæ.

R. Tales propoſitiones dicuntur *Intenſivæ.* 10.

Q. Secundi *Canonis* ſenſum plenius enarra ? Subjectum &

R. In-

Prædicatum quomodo ſeſe declarant. R. Innuit tale eſſe Subjectum, quale ut ſit per Attributum licet, & viciſſim Prædicatum per *ſubſtituta materiæ naturam* & proprietates explicari debere, unde ea propoſitio nonnunquàm fit vera, cujus Subjecto pars aliqua Attributi adjungitur, citra quam adjunctionem falſa foret.

11. Q. An Subjectum priore, Attributum poſteriore loco ſemper ponitur?

Propoſitio indirecta. R. Non, ſed ordo ſæpe evertitur, & tales propoſitiones *Indirectæ* vocantur.

12. Q. Ut verò Subjectum ab Attributo diſcernatur, & ſedi ſuæ, naturali loco, reſtituatur, quid faciendum eſt?

Quomodo indirectæ mutentur R. Inſpiciendum eſt, *Primò* de qua re aliquid dicatur, affirmetur aut negetur, hæc res quippe erit *Subjectum*. *Secundò* quid de illa re dicatur, quid ei tribuatur, quid ab illa removeatur, illudque erit *Attributum*.

CA-

CAPUT. II.

De propoſitionibus univerſalibus, particularibus, infinitis, & indefinitis, ſimplicibus, & compoſitis.

Q. PRopoſitionum diviſiones unde deducendæ? 1. Diviſiones propoſitionis ab ejus partibus deſumuntur.

R. Ex tribus unde conſtant partibus; Quæ enim ad conſtituendam propoſitionem nihil conferunt, ea neque ad eam diſtinguendam quicquam faciunt; petuntur ergò diviſiones vel ab *Extremis*, id eſt à ſubjectô vel prædicato, vel à *Copulâ*.

Q. Ab *Extremis* quæ deducuntur ſpecies? 2. Propoſitio ſimplex & Compoſita.

R. *Primò*, propoſitiones quarum ſubjectum & attribum unicum eſt, *Simplices* dicuntur, oppoſitè ad *Compoſitas* quæ ſubjectâ vel attributa complectuntur plura unò. *Secundò*, *Finitæ* quoque dicuntur, aut *Infinitæ* prout terminus ſubjectum aut prædicatum deſignans, finitus eſt, vel infinitus. *Tertiò*, ſubjectum aut prædicatum ſi enuncientur terminis ſimplicibus, *Simplices* ſi complexis, *Com-*

3. Finita & Infinita.

4. Simplex & Compoſita.

Complexas, conſtituunt enunciationes.

5. Complexio propoſitioni eſſentialis vel accidentalis.

Q. Circa *Complexas* quænam habes obſervatu digna?

R. *Primò*, terminus ille quô adjuncto ſubjectum vel prædicatum termini complexi fiunt, ad propoſitionis eſſentiam nonnunquàm pertinet; nonnunquam verò propoſitionis eſſentiâ illæſâ, ſenſu immutatô abeſſe poteſt, quòd materia dequa agitur orationiſque ſeries indicant; ad eſſentiam *Explicatrix* complexio nunquàm, *Determinatrix* verò frequenter pertinet. *Secundò*, Omnis terminus complexus quandoquidem Ideas inter ſe junctas deſignet, vim includit propoſitionis affirmativæ, & illa propoſitio quæ ſubjecti vel attributi partem conſtituit, *Incidens* dicitur, oppoſitè ad *Principalem*, quæ in conjunctione illius ſubjecti (ſive ſimplex ſit ſive complexum) cum attributo poſita eſt, aut in alterius ab altero ſeparatione.

6. Propoſitio Incidens.

Q. Perge in enumerandis diviſionibus Propóſitionum à Subjecto petitis?

R. Singulare ſubjectum *Singularem*

rem efficit propoſitionem; Communis verò terminus in omni ſua latitudine acceptus *Uuiverſalem*; Secundum aliquam ſui partem *Particularem* nobis præbet enunciationem.

7. Propoſitio ſingularis Univerſalis Particularis.

Q. Singularis utri potiùs accedit Univerſali an particulari?

8. Singularis revocatur ad Univerſalem.

R. Univerſali, nam utriusque eædem ſunt propriētates, utriusque quippe ſubjectum in omni ſua latitudine accipitur.

Q. De ſingularibus quid habes præcipiendum?

9. Nomina ſocietatum collectiva etiam ſingulares conſtituunt propoſitiones.

R. Nomina ſocietates deſignantia propoſitiones ſingulares conſtituunt, eò quod ſocietas quaſi unicum corpus ſpectetur; Eadem vis inerit vocabulo *Omnis*, ubi ſumitur Collectivè propter eandem rationem; unicum quippe corpus deſignat.

Q. Circa *Univerſales* quid cenſes monendum?

10. Notæ univerſalium variant.

R. *Primò*, notas Uuiverſales pro linguarum diverſitate variari. *Secundò*, ſæpè ſub particulari notionis ſigno latet notio Univerſalis, ut multi pro omnibus; Adeoque termini iſti pro ſubjectâ materiâ interpretandi ex quâ patebit, an Univer-

11. Atque ſarit pro ſubjecta materia

interpretandæ. ſalis ſit propoſitio abſolutè, an ſecundum quid. *Tertiò*, Univerſales

12. Univerſales Metaphiſicè, Phyſicè, Moraliter. *Metaphyſicè* dici ſolent quas Univerſales non eſſe implicat contradictionem, *Phyſicè* tales cenſentur quarum attributum, juxta ordinem in rerum natura obſervatum, ſubjecto ſemper apponitur; *Moraliter* denique, quarum ſubjecto attributum plerumque

13. De generibus ſingulorum & de ſingulis generum. convenit aut opponitur. *Quarto*, Univerſales eſſe vel de *generibus* ſingulorum, vel de *Singulis* generum.

Q. De Univerſalibus & Particularibus qui feruntur canones?

14. Cnones. R. *Propoſitio Univerſalis æquipollet omnibus ſingularibus ſub ipſa comprehenſis, & viciſſim.* Secundò, *Univerſalis propoſitionis veritas particularis veritatem infert, ſed non viciſſim, contrà Univerſalis falſitas, particularis falſitatem non infert, ſed particularis falſitas Univerſalis veritatem evertit.*

15. Propoſitio affirmans vel Negans. Q. Ex Copulâ quæ eliciuntur diviſiones?

R. Propoſitionis in *Affirmativam & Negativam.*

16. A.E.I.O. Q. Univerſalem & Particularem quomodo cum Affirmativâ & Negativâ

tivâ combinant?

R. Sic ut quatuor inde emergant ſpecies, Univerſalis affirmans vel negans, Particularis affirmans vel negans, primam per A. Secundam per E. Tertiam per I. Quartam per O. exponunt, cujus artificii carmen hoc memoriale eſt.

Aſſerit A. *Negat* E. *verum generaliter ambæ.*
Aſſerit I. *Negat* O. *verum particulariter Ambo.*

Q. Ex copula quoque nonne propoſitiones exſurgunt aliæ *Puræ* aliæ Modales? 17. Modales ad Compoſitas vel Complexas referendæ.

R. Sunt equidem qui conſtituerunt quatuor ſpecies indicatas vocabulis *Poſſibilis* & *Impoſſibilis*, *Neceſſarii* & *Contingentis*; ſed hæ omnes in compoſitas reſolvi poſſunt, vel in complexas, à Copulâ ad extrema complexionem rejiciendo.

CAPUT III.

De Propoſitionibus Compoſitis.

Q. PRopoſitiones Compoſitas quomodo primum dividis? 1. Propoſitiones

 R. Ubi

congregativæ & ſegregativæ.

R. Ubi de duobus pluribusve ſubjectis idem attributum affirmatur vel negatur; ubi etiam de eodem ſubjecto, plura atributa vel omnia affirmantur, vel omnia negantur, propoſitiones illæ dicuntur *Congregativa*. *Segregativa* verò erunt, quarum attributum alteri quidem ſubjectorum conjungitur, ab altero verò ſeparatur, vel quorum ſubjectum admittet quidem unum attributorum, alterum verò reſpuet.

2. Q. *Congregativas* quomodo diſtinguis?

Copulatæ & Connexæ.

Propoſitiones ſimplices congregativam couſtituentes, *vel* inter ſe ſimpliciter copulantur, *vel* ſic, ut earum una ab alterâ pendeat, hinc propoſitionis diviſio in *Copulatam* & *Connexam* ſive *Conditionalem*.

3. Q. Circa *Copulativam* quænam obſervas.

Copulatæ Veritas inde pendeat.

R. *Primò*, Copulativam legitimam non eſſe niſi omnes, quibus conſtat, partes veræ ſint; falſa enim propoſitio cum vera copulanda non eſt.

4. Quomodo ei contradicatur.

Secundo, Ei contradici, negando propoſitiones, quas complectitur, inter ſe devinctas, aut devinciendas eſſe.

Q. Ad

Q. Ad Copulativas quænam referuntur? 5. Copulativam.

R. *Relativæ* loci, & temporis quæ ſunt, *Inceptivæ*, *Continuativæ*, *Deſitivæ* & *Comparativæ* illæ ſaltem quæ ſenſu complexæ uon ſunt) *Reduplicàtivæ*, pariter quarum reduplicatio non eſt de eſſentiâ propoſitionis & conſequenter *Explicativæ*.

Q. Quomodo vocantur propoſitiones quibus *Connexa* conſtat? 6. Partes connexæ.

R. Prima *Antecedens*, ſecunda *Conſequens*.

Q. Unde patet ejus veritas? 7. Veritas.

R. Ex arcto nexu Conſequentis cum Antecedente.

Q. Quomodo ei contradicitur? 8. Contradicendi ratio.

R. Nexûs illius negatione.

Q. Nexus ille quotuplex?

R. *Immediatus* qui per ſe patet, 9. Nexus duplex. *Mediatus* qui aliunde probari opus habet.

Q. Enarra *Conditionalium* canones. 10. Canones.

R. *Primus*, Conditionalis nihil ponit ineſſe, ſeu ex connexo nequit inferri abſolutum.

Secundus, Verum connexum po-

teſt eſſe in partibus falſis & neceſſarium in contingentibus.

Tertiò, Conditio impoſſibilis æquivalet propoſitioni negatæ.

11. Connexis affines.

Q. Quænam Connexæ annumeranda ſunt?

12. Cauſalis à connexa diſcrimen.

R. *Relativæ* & *Cauſales*.

Q. In quibus *Cauſalis* differt à ſimplici Connexa?

R: Differunt quod in Cauſali antecedens membrum verum afferatur, in Conditionali verò tantùm ſupponatur.

13. Disjunctivæ & Diſcretivæ.

Q. *Segregativas* quomodo dividis?

R. Simplices quæ Segregativam enunciationem conſtituunt, *vel* ſimpliciter & in genere opponuntur, *vel* diſtinctiùs, & determinatè magis, altera ab alterna ſecernitur, hinc *Diſjunctiva* & *Diſcretiva* enunciatio eſt.

14. Proprietates & Requiſita.

Q. Circa iſtas quæ habes monenda?

R. *Unicam* Disjunctivam æquivalere *quatuor* Connexis; *Secundò*, Disjunctivæ, omnes partes debere plenè enumerari & verè opponi, ſic ut una earum vera, reliquæ falſæ ſint, *Tertiò*, Disjunctivæ contradici, ſi una harum conditionum abeſſe dicatur,

catur. *Quartò*, Non modo partibus oppoſitis diſcretam conſtare, ſed partium illarum veram à falſis ſecernere.

Q. *Diſcretis* quænam accenſentur? 15. Diſcretæ affines.
R. *Inceptivæ*, *Deſitivæ*, *Reduplicativæ*, quas copulativis adjunximus, poſſunt & in Diſcretas reſolvi; *Incepiſti Sapere*, id eſt, *Diſcretè ſapiens es*, *ſed non fuiſti*; *Deſinis ineptire*, id eſt, *non ineptis*, *ſed ineptieras*; Reduplicativa pariter in diſcretam reſolvitur. *Regeniti non peccant quatenus Regeniti*, dicetur; *diſcretè Regeniti peccant quidem*, *ſed non quatenus Regeniti.*

Ad Diſcretas pertinent *Exceptivæ*, 16. Exceptivæ.
qui enim negat excipiendo, caſum exceptum affirmat, cæteros rejicit.

Q. Exceptio quotuplex?

R. Ea cadit *vel* in Subjectum, 17. Duplices.
quo in caſu duo dantur ſubjecta, *vel* in Attributum, quo in caſu duo dantur attributa, *Primæ* exemplum ſit *Ethnici*, *paucis exceptis verum Deum non cognoverunt*, *poſterioris* Samſon fortis niſi adverſus amorem.

Q. *Exceptivæ* quænam maximè 18. Excluſivæ.
affinis eſt?

R. *Excluſiva* quæ in Exceptivam, ſicut Exceptiva viciſſim in Excluſivam facile commutatur.

Q. Quomodo iis contradicitur?

19. Contradicendi Ratio. R. Tripliciter. *Primò* quod ponitur tollendo. *Secundò*, quod excipitur excipiendum non eſſe contendendo. *Tertiò*, Utrumque faciendo.

20. Canon. Q. Quis Canon circa tales fertur?

R. Quo ſenſu atque reſpectu illorum Attributorum alterum de Subjecto affirmatur, eodem ſenſu atque reſpectu alterum de eodem negatur ſudjecto.

21. Reſtrictivæ. Q. Habesnè aliam ſpeciem ad Diſcretas referendam?

R. Imò: nam diſcretis quoque accenſeri debent *Reſtrictivæ* ſubjecti amplitudinem reſtringentes, ſive Cauſam allegando, propter quam ſubjecto prædicatum convenit, ſive exprimentes conditionem, quâ demùm poſitâ prædicatum ſubjecto attribui poteſt; Sic cùm dico, *Homines ineptè ratiocinantur, quia præcipites*, innuo & *præcipites malè ratiocinari, & benè ratiocinari eos à quibus præcipitatio abeſt*: Idem cenſendum de iſta, *Homines ab errore ſe ſe tutos præſtabunt, modò attendant.* Q. Quæ

Q. Quæ ſunt igitur facienda in genere Propoſitionem aliquam examinaturo? 22. Via Inſiſtenda propoſitiones examinaturo.

R. Attendat *Primò*, Num de unica re, num de pluribus quæſtio ſit: Attendat *Secundò*, Quænam & quot de re illâ aut de rebus illis affirmentur vel negentur; *Tertiò*, Prò numero rerum de quibus quæſtio eſt, & pro numero eorum quæ affirmantur vel negantur, propoſitiones multiplices, in omnes ſuas ſimplices reſolvet, quas ſingulatim examinet. Hanc Methodum ſollicitè adhibens non falletur in diſcriminandis propoſitionibus, ſive notas ſuæ ſpeciei proprias habeant adjunctas & expreſſas; ſive ſubintellectas.

CAPUT IV.

De natura affirmationis & negationis.

Q. Quid facit *Affirmans*? 1. Affirmationis natura.

R. Ideam affirmatam intra eam de quâ affirmatur includit, aut contentam ſupponit.

Q. Quid facit *Negans*? 2.

Negationis. R. Negatam Ideam non modò non includit intra eam de quâ negatur, ſed excluſionem Ideæ negatæ adſcribit Ideæ de quà negatur.

3. Affirmatæ Ideæ. Comprehenſio omnis ſed non extenſio affirmatur.

Q. An omni ſenſu & omni reſpectu oratio affirmata includitur intra affirmatam ?

R. Cùm affirmare, ſit declarare quænam intra Ideam aliquam contineantur, patet Ideam affirmatam nulla complecti attributa, quæ non contineantur intra eam de quâ fit affirmatio, adeòque *Prædicatum* affirmari de *Subjecto*, ſecundum omnem ſuam comprehenſionem: non tamen neceſſe eſt ut Idea affirmata nullibi contineatur, præter quam in Ideâ de quâ fit affirmatio, nam attributa omnia prædicati intra Ideam non ſolum ſubjecti, ſed etiam aliarum rerum contineri poſſunt, adeoque prædicatum affirmari poteſt de pluribus ſubjectis, ut Figura de Triangulo, de Circulo, de Quadrato: Similia attributa rebus, à ſe invicem diverſis, ineſſe poſſunt, & conſequenter affirmatæ propoſitionis prædicatum non in omni ſuâ extenſione accipitur, non conjunguntur

tur ſubjecto ea omnia quibus nomen prædicati applicari poteſt.

Q. Nonne tamen evenit ut Affirmatæ propoſitionis attributum ſumatur *Univerſaliter*? 4.

R. Imò, cùm videlicet affirmatur differentia de ſpecie, eſſentia de re, proprium ſtrictè dictum de ſubjecto ſuo.

Attributum negatæ quò demum in caſu univerſale.

Q. An de univerſalitate *Negati Prædicati* eadem dicenda ſunt? 5.

R. Minimè, nam ut attributum de ſubjecto affirmari nequeat, ſed meritò negetur, non requiritur ut nihil comprehendat idea attributi, quod ſit affine ideæ ſubjecti, ſufficit tantùm aliqua huic inſint, quæ altera reſpuat: Sed in propoſitione negante, à ſubjecto omnia, quibus applicabilis eſt idea attributi, ſeu omnia ejus inferiora removentur & remota pronunciantur; Nam ſi vel unica res, cui applicabilis idea prædicati, conveniat ſubjecto; certe intra ſubjectum continetur idea prædicati, & conſequenter malè negatur.

Non comprehenſio ſeu extenſio omnis negatur.

Q. An omnis Propoſitio quæ negativa videtur reverà *negans* eſt? 6.

R. Minime, ſed à propoſitione Infinita

propoſitio. negante ſedulo eſt diſtinguenda *Infinita*, ſpecie quidem negans, ſed reverâ ſæpè affirmans; Intra ideam quippe termini infiniti, id eſt, termini cui negatio propoſita eſt, contineri poteſt idea, attributi; ut ſi dicerem, *Non diviſibile eſt Inextenſum.*

7\. Q. Contra verò Negantes dantur quæ *affirmativa* potiùs videntur?

Negatio quadruplex. R. Omninò, nam negatio eſt vel *expreſſa* vel *Virtualis*, ut in exceptivis. Eſt etiam negatio vel *Abſoluta* vel *Reſpectiva* quæ in ordine ac aliud ſumitur, ut ſi dicam, *Homo habet duos pedes, nego habere tres.*

Imò in omni propoſitione negante *excluſio attributi* affirmatur de ſubjecto.

CAPUT V.

De propoſitione Vera & Falſa.

1\. Q. CUr Affirmationi & Negationi ſubjungis propoſitionem *Veram* & *Falſam*?

Tranſitio. R. Quia veræ ſunt affirmativæ, quæ debent affirmari, falſæquæ non:

non: Viciſſim veræ negantes, quæ meritò negantur, falſæ quæ immerito.

Q. Ergo quomodo definis Judicia vera & falſa? 2.

Definitio veræ & falſæ propoſitionis.

R. Vera ſunt judicia, quando res ipſæ tales ſunt quales judicantur, exiſtimantur. Falſa quando aliter ſe habent.

Q. Quibuscum hic intercedit controverſia? 3.

Scepicorum ſententia.

R. Cum Scepticis & Pyrrhoniſtis, qui negant nos fieri poſſe certos num judicia noſtra rebus conſentiant.

Q. Quid hoc ſibi vult *Certum* eſſe? 4.

Certitudo quid.

R. Certus eſt veram eſſe propoſitionem, ille quin vera ſit *dubitare poteſt*, & certum eſſe, eſt dubitare non poſſe, & conſequenter qui *non poteſt non aſſentiri.*

Q. At nonne tales propoſitiones quandoque falſæ occurrere poſſunt? 5.

Dubitationem excludens.

R. Cùm dubitare non poſſe, cùm non poſſe non aſſentiri, & credere verum, ſint unum & idem, quis ſibi conſtans, quis cogitatis ſuis attendens, adeoque compos mentis, judicabit falſa eſſe quæ non poteſt non credere vera, ſeu quibus non poteſt non aſſentiri.

6. Q. Judicia noſtra circa quot Objecta verſantur?

Judiciorum objectum duplex.

Judicamus & pronunciamus *vel* de *Ideis* noſtris, *vel* de *Rebus* extra nos exiſtentibus.

7. Q. Quid requiritur ut vera ſint Judicia quæ de Ideis noſtris feruntur?

Judicia de ideis quæ vera.

R. Si nihil adſcribant ideis noſtris, quod intra eas non contineatur. Nam ut neceſſe eſt in libra lancem ponderibus impoſitis deprimi, ſic animum perſpicuitati cedere.

8. Q. At quâ viâ certitudinem illam aſſequi potero, quâ mihi indubiè conſtet, me non gratis ſuppoſuiſſe, ſed vidiſſe eas quas ideis meis adſcribo, relationes?

Quæ certa.

R. Id obtinebis facilè ſi ideas tuas in ſimpliciſſimas, quibus conſtant, reſolvas, quæ complectuntur, inquàm facilè concipies, ſi ad earum Geneſim attendas.

9. Q. Quænam eſt inſiſtenda via, ut rerum à me diverſarum certam aſſequi poſſim cognitionem?

Judicia de rebus feruntur ex ideis

R. Ideis noſtris attendendum eſt, & quid continent eſt evolvendum, ut rerum extra nos poſitarum cognitio paretur, quia quarum proprie-

tatum

tatum ideas, idea alicujus objecti complectitur vel ſecum trahit, eſs proprietates ipſum illius ideæ objectum, vel continet vel infert.

Q. Supponit igitur Ideas nobis in id eſſe datas, ut per eas res cognoſceremus extra nos poſitas? 10.

Ideæ rerum repræſentamina.

R. Omninò, neque enim Mens attenta impetrare poteſt ut dubitet, quin rerum, extra ſe poſitarum, ideæ ſuæ accurata eſſe poſſint repræſentamina, & in certis caſibus reverà ſint: Quis enim huic non aſſentitur propoſitioni, quemàdmodum Idea circuli complectitur, ideas radiorum æqualium, ſic Circulus exiſtens, radios quoque complecteretur æquales: Confirmantur in hac ſententia obſervantes machinas à mente excogitatas & opere effectas, id re præſtare quod eas præſtare prævideramus, non enim ſomniis, opera adeò convenientia adçenſeri poſſunt fabricatur Machina, attolluntur lapides, teritur frumentum, ſubigitur farina, pane alimur, nec inter deluſæ mentis ludibria is ordo obſervatur, quó conſtantior inter res ipſas concipi non poſſit.

An

An ſuprema cauſa hominibus ſenſus conceſſit quibus non uterentur, & quibus utentes contra errorem tuti eſſe non poſſent quaſcumque adhibuerint cautelas. Aliud loqui, aliud aptè loqui, aliud uti ſenſibus, aliud rectè uti. Rectum porro uſum ſunt Rægulæ quæ indicant ceterumque faciunt.

11. Q. Nonnè extant Pyrrhoniſtæ quos omnes illæ rationes commovere non valent?

pyrrhoniſtæ cur Inſanabiles.

R. Omninò, nam quemadmodum Mens humana quæ libera eſt, nobilitatem generis ſui oblita, generoſam indolem in beſtiales affectus nonnunquàm commutat, adeòque, per libertatis ſuæ abuſum, ſtultitiæ ac inſaniæ eò procedere poteſt, ut corporis ſuis oculos effodiat, ſic etiam ad eum furorem eamque immanitatem delabitur, ut rationem ejeret, & cùm certæ rerum cognitioni acquirendæ incumbere deberet, incerta omnia reddere omni ſuo labore conetur.

Dogmatici videntur nimis quædam affirmare, pluſque profiteri ſe ſcire quàm ſciant. At fuere videtur

Empe-

Empedocles, cùm ait nihil nos cernere nihil quale ſit reperire poſſe. *Cic. Acad.* 4.

Hoc ſum contentus, quod etiamſi quomodò quidque fiat, ignorem quid fiat intelligo *C.* 1. *de Diſ.*

Non ſolùm ſcire ſed etiam neſcire viventis eſt, ſicut ergo me vivere non ſolùm verum, ſed etiam certum eſt, ita vera & certa ſunt multa, quibus non aſſentiri abſit, ut ſapientia potiùs, quàm dementia nominanda ſit Aug. Ench.

Protagoræ ſententiam qui putabat id cuique verum eſſe quod cuique videatur ſunt hodie qui hypotheſes finxerunt, hanc confirmare prorſus idoneas, etenim ſi Mens mea propterea quòd in certa quadam ſerie poſita eſt, ut vi idearum, affectuum, cogitationums uno verbo, quæ præſens momentum præceſſerunt inevitabiliter ad aliquam propoſitionem affirmandam determinetur, qui pro negativa ſtat, patiter, vi ſeriei diverſæ ſucceſſionum aliarum, determinatur quoque, hoc momento inevitabiliter, ut à me diſſentiat, & ſententiæ meæ contrarium tueatur, nec fieri poteſt ut,

ut, pro præſentibus circumſtantiis, quiſquam judicet aliter quam judicat.

Ab hypotheſibus illis undè tantum errandi periculum & fluctuandi ſponte ſua manat, abſtinere decet. Mensque tenuitatis ſuæ memor impervia ſibi ſcrutari reformidans beatum illud tempus expectet, quò ſplendorem veritatis, in æterno beatitudinis lumine, Deus ipſe contemplandi ſpem nobis conceſſit & habere juſſit.

12. Q. An deſinit certa eſſe ea propoſitio quæ difficultatibus obſcuratur?

Certitudo ſtat quandoque etiam cum obſcuritate.

R. Minimè, ſi contra difficultates immota ſtare & tenebras ſua luce pellere poſſit, neque unquàm denegandus aſſenſus quoties ſubterfugia, non niſi bonâ fide læſa quæri poſſunt; hic quippe recordandum *clarum ab obſcuro non eſſe abſorbendum.*

13. Q. Talem certitudinem quo nomine deſignas?

Certitudo Moralis & Mathematica.

R. Vocari poſſet *Moralis*, quia concluſiones Ethicæ ejus ſunt generis, nam demonſtrantur, & objectionibus oppugnantur; quæ verò pro-

propoſitiones nullis patent objectionibus *Mathematicè* certæ dicuntur.

Q. Quas vocas *Incertas* propoſitiones? 14. Incertæ propoſitiones.

R. Quarum veritas nullis ſe manifeſtat indiciis.

Q. Quas *Dubias*?

R. Quæ leviter in aſſenſum impellunt, aut non validioribus argumentis firmantur quàm impugnantur. 15. Dubiæ.

Q. Quas *Probabiles*.

R. Quæ validioribus quidem firmantur argumentis & quæ per rationes oppoſitæ labefactari quidem, ſed non prorſus frangi poſſunt; Debilitantur objectiones ſed non evaneſcunt propoſitiones Incertæ, Dubiæ, Probabiles veriſimiles differunt quidem, ſed diſcrimen earum inter ſe non per indiviſibile & quaſi per punctum, lineamve latitudinis expertem terminatur, ſed gradus admittit tranſitus ab altera in alteram. Gradus quidem veriſimilitudinis aſſignantur, inter aleæ jactus ſed facilè probatu eſt gradus illos non eſſe certos & conſtantes. 16. Probabiles.

CAPUT VI.

De Principiis.

1. Q. QUomodo diſtinguis propoſitiones veras?

Propoſitiones veræ duplices.

R. Veræ propoſitiones v. tales agnoſcuntur ſolâ ſuâ luce v. egent demonſtratione, illæ *Principia*, iſtæ *Problemata* dicuntur.

2. Definitio principiorum.

Q. Definito accuratiùs *Principia*?

R. Hoc nomine veniunt Propoſitiones, quæ attendenti ſtatim exhibent attributi ideam; intra ſubjecti notionem, contentam.

3. Cauſa nominis.

Q. Cur dicuntur *Principia*?

R; Quod à talibus initium ſit faciendum, quâ de cauſâ vocantur quoque *Veritates primæ*.

4. Cognominis.

Q. Cur *Notiones communes*?

R. Quia omnibus per ſe notæ ſunt.

5. Axiomata.

Q. Cur *Axiomata*?

R. Quia per ſe ἀξία, dignæ ſunt quæ credantur, non enim aliunde quærunt, unde ſibi fidem faciant; non propter argumenta, quibus

bus probantur, ſed propter lucem, quâ fulgent, mentem nanciſcuntur acquiſcentem.

Q. Definito *Problema?* 6.

R. Eſt Propoſitio, cujus ſubjecti cum attributo nexum, terminorum, quibus conſtat, ſola intelligentia manifeſtum non facit, ſed quærendum ſupereſt unde probetur, quâ de cauſâ *Quæſtio* vocatur. Definitio problematis.

Q. Si nactus fueris adverſarium pertinacem, aut diſcipulum gravem & obtuſum, *Principia* quomodò demonſtrabis? 7. Axiomata duplicia probantur.

R. *Primo*, Termini quibus propoſitio axiomatica conſtat, nitidè evolvendi, & definitionibus explanandi, quas loco definiti ſubſtituens, facilè oſtendes alterum ab alterâ contineri; ſed, *Secundò*, Si adverſarium nactus ſis etiam perſpicuè expoſitis reluctantem, is ratiociniis ad abſurda ducentibus convincendus erit, nam quæ vocatur à *priori demonſtrationes*, hic non facilè locum habent, prinpia enim, quia ſunt principia, demonſtrari non poſſunt per alia unde pendeant.

Q. An veritas *Particularium* pendet 8.

det à veritate *Univerſalium*, quibus continentur ut ſpecies ſub genere?

Univerſalis propoſitio cauſa non eſt cur particularis vera ſit & ſi cauſa extet cur agnoſcatur.

R. Diſtinguo; Equidem una poſitâ alteram poni neceſſe eſt, quia *ſimilium ſimile eſt judicium*, ſed neutrius veritas cauſa eſt, cur altera vera verùm perſe utraque vera eſt, & talem ſeſe præbet.

Q. Univerſalium illorum principiorum quænam eſt utilitas?

9. Uſus earum.

R. Commoda occurrunt in diſputationibus, quòd facilè concedantur, & quia, quæ inde tela parentur, non ſtatim ſit manifeſtum; Iis porrò conceſſis, concedantur ſingulares propoſitiones ipſis ſimiles neceſſe eſt, quæ tamen ab univerſalibus non deducuntur, quaſi in iis contentæ forent, ſed occaſione Univerſalium effinguntur; Mens enim, ut ſæpe notatum ab unâ cogitatione in aliam facilè tranſit. Sed meditanti, & aliquod objectum cognituro, utilius eſt attentionem in determinatas ideas defigere.

10, Q. Quomodo colliguntur illæ Univerſales propoſitiones?

Univerſalium ortus.

R. Non ſolâ inductione, quæ non aſſurgit ultra *Probabilitatem*, ſed attentâ

tentâ conſideratione nexûs prædicatum cum ſubjecto ligantis.

Q. Quomodo ſolent dividi Principia?

R. In *Theoretica* & *Practica*, Illa nudam veritatem continent; Iſta mores flectunt & præceptionem includunt. II. Theoretica & Practica.

CAPUT VII.

De Præjudiciis.

Q. AN veræ ſunt omnes Propoſitiones, quibus etiam citra argumenta plerique omnes aſſentiri ſolent? Tranſitio.

R. Minimè, ſed plurimæ extant, quæ creberrimo uſu & frequentiſſimâ repetitione, adeò nobis evadunt familiares, ut cum illis communibus notionibus confundantur, quæ ſunt prima principia veri, quaſque, propter ſummam ſuam evidentiam, non de novo audire, ſed recordari, & jam anteà ſciviſſe, nobis videmur.

Q. Præjudicia igitur defini? I. Definitio

R. Judicia ſunt perperam formata,

præjudiciorum. ta, ante res maturè penſitatas, & quorum examen præceſſit aſſenſus.

2. Q. Divide?

Theoretica & Practica. R. Ut Vera Principia, ſic quoque Præjudicia *Theoretica* ſunt vel *Practica*; Illa nudam cognitionem, iſta mores inficiunt continentque regulas quibus aſſenſi ſumus, non ratione, ſed affectibus ducti, & motibus, ab inſtar affectuum, ſui neſciis.

3. Q. Cur à nonnullis vocantur Idola?

Idola cur. R. Quòd ſicut Idola DEO ſoli debitum honorem in ſe convertunt, ſic illæ propoſitiones, communibus notionibus ſolis debitam acquieſcentiam obtinent.

4. Q. Diviſio præjudiciorum à Bacone, unde iſta Idolorum denominatio inſtituta, tibi nonne probatur?

Quadruplicia. R. Omninò quia cauſas aperit præjudiciorum? ſunt nempè eorum cauſæ v. *Primò*, omnibus communes, indequè nata præjudica quæ *Baconi*

5. Idola tribus. vocantur *Idola Tribus*, id eſt generis humani; v. *Secundò*, pro diverſis quibus hic & ille regitur affectibus, fit ut

6. Idola ſpecus. non examinatis, non excuſſis aſſentiatur, atque præjudicia illa Baconi ſunt *Idola ſpecus*, ex ſingularibus indolis

lis humanæ receſſibus, tanquàm ex ſpecubus totidem abditis, manantia. *Tertiò*, Inclinat mentem, in aſſenſum, cæterorum quibus cum vivimus exemplum; Indeque naſcuntur *Idola Fori* quibus affinia ſunt, *Idola Theatri*, id eſt, præjudicia quibus auctoritatem, non tam opinio vulgi, quàm *Secta* quædam famâ pollens, & quaſi ſupra Theatrum erecta conciliarit (*a*). Q. Qui-

7. Idola Fori.

8. Idola Theatri.

(*a*) HOR. *Serm. L. II. S.* 7.
Pars hominum vitiis gaudet conſtanter & urget
Propoſitum; pars multa natat, modo recta capeſſens
Interdum pravis obnoxia - - - - -
- - - - - Quantò conſtantior idem
In vitiis, tantò leviùs miſer, ac prior illo,
Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
Evaſti? credo, metues, doctusque cavebis
Quæres quando iterum paveas, iterumque perire
Poſſis. O toties ſervus! quæ bellua ruptis,
Cum ſemel effugit, redit ſe prava catenis?
- - - - - - tolle periculum
Jam vaga proſiliet frœnis natura remotis.
Tu mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer. atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum
Quiſnam igitur liber? ſapiens, ſibique imperioſus:

Qu em

9. Ratio præjudiciorum ſeponendorum.

Q. Quibus cautionibus Præjudicia *diſcernes* à veris Principiis?

R. Non propoſitionum omnium ante hac creditarum prævio examine; maxi-

Quem neque pauperies, neque mors neque vincula terrent:
Reſponſare cupidinibus, contemnère honores
Fortis, & in ſe ipſo totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari
In quem manca ſemper ruit fortuna. Poteſne
Ex his, ut proprium quid nocere?
- - - - adde quod idem
Non horam tecum eſſe potes, non otia rectè
Ponere, teque ipſum vitas fugitivus, & erro,
Jam vino quærens, jam ſumno fallere curam,
Fruſtra: nam comes atra premit ſequiturque fugacem.

Ep. L. I. 16.

Tu rectè vivis, ſi curas eſſe quod audis.
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas:
Neve putes alium ſapiente, bonoque beatum
Neu, ſi te Populus ſanum, rectéque valentem

Dicti-

maxima quippè Philoſophiæ pars in talium examine poſita eſt; ſed Propoſitionum ante-hac admiſſarum, nulla eſt in argumentum ſumenda, quæ
L quaſi

Dictitet, occulta febrem ſub tempus edendi
Diſſimules: donec manibus tremor incidat unctis
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

- - - - - - - - -

Cum pateris ſapiens, emendatuſque vocari
Reſpondesne tuo, dic ſodes, nomine? nempe
Vir bonus, & prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, ſi volet auferet: ut ſi
Detulerit faſces indigno, detrahet idem.
Pone meum eſt, inquit. Pono, triſtiſque recedo.

- - - - - - - - -

Falſus honor juvat, & mendax infamia terret.
Quem niſi mendoſum, & mendax infamia terret
Quem niſi mendoſum, & mendacem? vir bonus eſt quis!
Qui conſulta Patrum, qui leges juraque ſervat:

- - - - - - - - -

Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota Intror-

quaſi tunc primùm in mentem veniret, non expendatur; quærendo. *Primò*, quis ſenſus vocibus ejus Singulis ſubjaceat; *Secundo*, num Ideæ talibus vocabulis indicatæ ſint ex earum genere, quæ ad res cognoſcendas conceſſæ nobis ſunt; *Tertiò*; num talium Idearum affirmata, intra eam de qua fit affirmatio, contineatur; *Quartò*, ſingulorum terminorum definitio in locum definiti ſubſtituenda eſt; nam hac ratione excuſſa præjudicia, *Contradicentes Ideas* complecti deprehendentur.

Aſſen-

Introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.

\- - - - - -

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suſpectos laqueos, & opertum milvus hamum
Oderunt peccare boni virtutis amore
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ
Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra profanis.

\- - - - - -

Quò melior ſervo, quo liberior ſit avarus;
In triviis fixum cum ſe demittit ob aſſem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam
Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augendâ feſtinat, & obruitur re.

Aſſentari vitium non Aulas ſolùm, ſed & Scholas ipſas miſerè occupârat, ut in iſtis ſint qui ampliſſimis effuſiſque laudibus honorentur, illorum ſententiæ & conjecturæ velut oracula excipiantur, illiſque ingenia noſtra vili ſervitio ſubjiciantur.

Nihil magis curandum eſt, quàm ne pecorum ſitu, ſequamur, antecedentium gregem pergentes non quò eundum eſt, ſed quò itur.

O imitatores, ſervum pecus, ut milui ſæpè
Bilem, ſæpè jocum veſtri movere tumultus.

Sapientiam ſibi adimunt ſeque veri ſcientià privant, qui, ſine ullo judicio, inventa majorum probant, nec putant fieri poſſe ut ipſi plus videant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint quia majores dicuntur.

Idolorum Theatri miravis apud Pythagoræ diſcipulos, apud quos tantùm poterat præjudicata opinio, ut ſine ratione valeret auctoritas.

CAPUT VIII.

De Cauſis frequentioribus hallucinationum in judicando.

1. Omnis error ex præcipitantiâ.

Q. QUæ Cauſa errorum maxime Univerſalis;

R. Omnis error inde eſt; quòd *Præcipitanter* intra ideas noſtras id contineri, quòd non continent, nec in iis videmus, ſupponamus.

2. Præcipitationis cauſæ affectus.

Q. Et quæ Cauſæ ita nos præcipites agunt?

R. Affectus, animum quippe impediunt, quominus poſſit cernere verum; Cupiditas, Metus, Amor, Odium, in aſſenſum inclinant. Hunc habent imprimis effectum *Amor ſui ipſius*, atque magnifica de ſe Opinio, nam quemadmodum, qui viribus ſuis Corporeis plurimum fidit, is prælium, etiam non exploratis hoſtium viribus, promptè ac lubens capeſcit; ſic qui de ingeniô ſuô magnificentiùs quàm decet, exiſtimat de errore ſecurus, leviter expenſis objectis, quid ſint aut non ſint leviter pronuntiat & præceps.

3. Et imprimis, Φιλαυτία.

Q. Qui

Q. Qui fit ut magnificè de ſe ſentientes, & aſſeveranter pronuntiantes, cæteros quoque in aſſenſum abripiant?

R. *Primò*, Quemadmodum minaces territant, & vires majores quàm habent, jactando, ad obſequium timidiores flectunt; ſic impudentes magiſtri tenellis diſcipulis imponunt. *Secundo*, quòd tam facilè à cæteris ſibi imponi patiantur, inertia cauſa eſt atque pigritia, nam examinandi mens moleſto labore fatigata, affirmatione aut negatione examen terminat.

4. Inertia eſt cauſa cur ſibi homines imponi patiantur.

Q. Quibus remediis contra tot morbos munitum eſſe decet?

R. Omnia quæ mentem ad aſſenſum flectunt, (ſi lucem, evidentiam, & claram & diſtinctam cognitionem excipias) ſummâ curâ cavenda ſunt; nulliuſque ponderis nobis eſſe debet omnis ratio credendi præter evidentiæ cogentis vim unicam. Pari paſſu ſemper ambulent *Perceptio* & *Judicium*; quo plus percipis, eò plus judices; ſi obſcurè, Judicium ſuſpendas: Si clarè, aſſeveranter pronunties; ubi non ex

5. Remedia.

omni parte percipis, ibi nec plenum profer Judicium.

Q. Quam ad veritatem Conſequendam, viam Myſtici nobis commendant?

6. Myſticorum methodus quies omnimoda.

R. Aſſerunt Faculatum omnimodam & placidam Deo illuminanti oblationem, unicam eſſe veritatis aſſequendæ viam; veritatem fruſtrà quæri à mente humana; à ſolo Deo concedi non tam anxiè quærentibus quam placidè, quietè & modeſtè expectantibus.

Q. Nonne tibi probatur hæc Methodus, nam commoda videtur?

7. Commoda.

R. Commodum eſſet, fateor, omiſſâ examinis longâ & perdifficili viâ, à Deo immediatè, ſine ulla operâ noſtrâ, in omnem duci veritatem.

Q. Cur ergò eam non præcipis?

8. Si vera ſed *Primò* incerta.

R. *Primò*, quia nullis argumentis probatur, hanc demùm eligentes Deum reverà nanciſci Magiſtrum, atque Doctorem. *Secundò*, certò ſcimus & conſcii ſumus mentem à Deo nobis conceſſam capacem, atque fœcundam Idearum Clararum, ad quas vult ut attentio noſtra con-

ver-

vertatur, quæ luce ſuâ mentem tranquillant, ut potè ad quas nati ſumus adeoque injurius eſſet in Deum, qui facultatibus, à Divinâ Munificentiâ ſibi conceſſis, uti negligit, & neſcio quam aliam occultam viam comminiſcitur, ſibique munire conatur. 9. *Secundò* Periculi plena.

Q. Quid reponeres lucem internam jactantibus? 10. Lux aut ipſa eſt idearum evidentia aut illuſio.

R. Aut veritatem propoſitionis, quam ſibi revelatam jactant, intelligunt, intra ejus ſubjectum videntes contineri attributum (& conſequenter de ejus veritate certi ſunt intuitivè ſicuti videmus cæteras veritates vi luminis naturalis) aut aliundè norunt eam eſſe veram, quia certis argumentis ſciunt eam à Deo profectam, quorum argumentorum veritatem, iterum aut vident, aut non vident; Lux igitur illa, quâ gloriantur, eſt vel ipſa propoſitionum, quas ſibi revelatas putant à Deo, *Evidentia*, vel aliquis alius effectus, quem effectum ſi intelligant, ejus iterum ideam habent, cujus evidentiâ victi credunt; hunc effectum nobis enarrent, & evidentiæ cui pleniſ-

niſſimum vovemus obſequium, victas manus trademus lubentes.

Auxilii Divini neceſſitatem, qui, apud ipſos Ethnicos, Philoſophi maximè floruere, ut Socrates & Epictetus, agnoverunt. Id igitur quærere & ſuppliciter petere, ſummo cum zelô, ſincero vividoque infirmitatum indignitatiſque proprio ſenſû, quid eſt quod Chriſtiano magis conveniat?

Ad opem adeò neceſſariam, tutam, & ad verum atque Rectum certiſſimè ducentem fruſtrà quis confugeret, eum in finem ut ab omni labore levatus, liber à cura inquirendi examinandi, attendendi, lucem veritatis quietus expectans reciperet; multò minùs ſi hanc eruditionis veræ ſibi comparandæ præponeret, ut eam inſiſtens cæteris hominibus ſcientiâ & gloriâ anteiret.

Studet igitur, legit, conſulit, inveſtigat, meditatur, atque dotes, per gratioſam Dei directionem; confirmatas, roboratas in uſum vertit aſſiduè, ob oculos unicè & indeſinenter Gloriam Dei, hominumque vera emolumenta ſibi præſtituens.

Ne

Ne verò mentis, finitæ ſemper & infirmæ, aberrationes, præjudiciorum fœtus, aut animi, præcipitis nimiùmque ſibi confidentis, concluſiones pro divinis irradiationibus amplectatur, ſunt cautè & ſolicitè obſcura ſecernenda ab evidentibus, probabilia à demonſtratis, conjecturas à documentis & teſtimoniis diſertè expreſſis. Duo ſunt, imprimis affinia quidem, ſed inter quæ nihilominus diſcrimen ingens ponere convenit. *Rationis* nempè Lumen naturale, de veritate officiorum certos nos facere poteſt, ſimulque de neceſſitate eorum obſervandorum, quam internam convictionem & perſuaſionem comitabitur ſincera voluntas, eorumdem, quamvis difficilium, adimplendorum, quæ omnia ſi viribus Rationis naturalibus concedantur, eſt certè aliquid longè ſuperius, & quo uſque aſſurgere minimè valent. Affectus nempè vehemens quo cum officiorum adimplendorum occaſiones arripimus, affectus difficultates ſuperans, carnis & Naturæ corruptæ repugnantias extinguens, inque locum earum ſua-

vitates zelumque ſubſtituens, ipſa ſuâ novitate, ſuâ vi, & ſuâ conſtantiâ, divinam ſuam originem arguentes, renovatæ mentis indicia certa, & ſanctificantis ſpiritûs præſentiam indubiam facientes; quando quidem Deo devoti, amorem noſtri, præ eô, quô in ſupremum Conditorem toti ferimur, vix animadvertentes.

TER-

TERTIÆ PARTIS
LOGICÆ
QUÆ EST
DE RATIOCINIO.

CAPUT PRIMUM.

Ratiocinii naturam exponens.

Q. QUænam eſt functio mentis ſanè Judicantis?

R. Mens debitè Judicans acquieſcit propoſitioni cujus videt attributum intra ſubjectum contineri. 1. Tranſitio.

Q. Quid requireretur, ut nullâ aliâ functione præterquam judicatrice opus nobis eſſet?

R. Ea in ideis noſtris evidentia, 2.

2\. Hæremus in judicando quod à nobis abſint ideæ plenæ.

perfectio, & plenitudo, ut duabus quibuſcunque propoſitis, ſtatim cernere valeremus, num prima intra ſecundam contineretur, nec ne.

Q. Judicia igitur tua expedita reddes Idearum *Ampliatione* ?

3\. Iſtæ expedita reddunt judicia.

R. Omninò.

Q. Ad Ampliationem illam conſequendam quâ te ratione componis ?

4\. Idearum ampliandarum via, ratiocinandi actum conſtituit.

R. Duabus ideis propoſitis, eſt inveſtiganda & aſſumenda *tertia* quædam *Idea*, quæ intra primam contineatur, ipſaque ſecundam contineat, unde patebit hanc ſecundam intra primam contineri, nam prima complectitur tertiam, & tertia ſecundam.

Q. Verum hæc via ad *Solas Affirmativas* concluſiones ducere videtur ?

5\. Quomodo negativæ propoſitiones ſunt reducendæ ad affirmativas.

R. Quæ *Negativa* dicitur propoſitio affirmat certè excluſionem attributi contineri intra ſubjectum, adeoque eſt ad talium elucidationem tertia inveſtiganda idea, quæ intra ſubjectum contenta ipſa contineat attributi excluſionem, vel quæ continens attributum, talis ſit, ut ejus excluſionem

clu-

cluſio contenta cernatur intra ſubjectum.

CAPUT SECUNDUM.

De Legibus Ratiocinii.

Q. QUot incumbunt facienda accuratè ratiocinaturo id eſt Judicium ex alio judicio deducturo

R. Tria. *Primò*, quæſtio ipſa diligenter excutienda. *Secundò*, inveſtiganda tertia idea, cujus duæ ſint proprietates, contineri intra ſubjectum, & continere attributum quæſtionis propoſitæ; Eſt *denique* tertia illa idea peritè applicanda ſubjecto & attributo. 1. Regulæ ratiocinaturum dirigentes ad tria capita revoçantur.

Q. Quas utilitates procreat diligens & attentum *Quæſtionis examen?*

R. *Primò*, quæ idea inattentè ſpectata, idcircò attributi ideam minimè complectebatur, ea ope attentionis plenior effecta, & acceſſu aliarum veluti ditata, continet quæ antè minimè continebat, & attributi ideam, intra ſe comprehenſam, menti objicit. *Secundò*, dum quæſtio diligentiùs excu-

2. Fructus manentes à diligenti quæſtionis examine.

excutitur, fieri nequit quin ad ejus momentum attendatur, cujus gravitate attentio accenditur, & roboratur; Si verò levius viſum fuerit, quæſtio ipſa ut ſupervacanea omittitur, ne tempus fugax, & gravioribus concedendum, ſine ullo fructu occupet.

Q. Qua ratione tutum examen inſtituendum?

R. *Primò*, Seorſim excutiendæ ideæ ſubjecti & attributi. *Secundo*, Si compoſitæ ſunt, advertendum an Quæſtio de omnibus partibus inſtituatur, an de nonnullis tantùm. *Tertiò*, Quot partes, tot ſint inſtituendæ propoſitiones. *Quartò*, Voces Singulæ definiendæ, & quæſtiones ſic inſtituendæ ut definitio occupet locum definiti. *Quintò*, Ab evidenter veris & falſis ſeponendæ, quæ dubiæ remanent, ad quarum elucidationem, vis argumentorum unicè convertenda. *Sextò*, Poſt ſingulatim & ſeparatim excuſſas ſubjecti & attributi ideas, ſunt eædem inter ſe componendæ, atque inſpiciendum eſt num Quæſtio ſit de attributo, quod competat ſubjecto neceſſariò,

3. Status quæſtionis conſtituendi via.

an

an verò de ſola poſſibilitate Quæſtio moveatur; an agatur de exiſtentiâ alicujus rei, an verò de ejuſdem in ſe ſpectatæ, probabilitate; an agatur de rei certitudine, ac verò de difficultate; an caſus controverſus ſpectetur *abſolutè* ac *ſimpliciter*, an certo quodam *reſpectu*; an Quæſtio ſit de partibus ſeorſim, an de iiſdem conjunctim ſumptis.

Q. Quibus nominibus veniunt apud Scholaſticos ſophiſmata in traditas Regulas peccantia?

R. *Primo*, *Ignoratio Elenchi*, quando aliquid probat Argumentum, diverſum ab eo in cujus gratiam inſtituitur. Sunt autem qui invidiâ ducti, aut perverſo laudis amore tranſverſi acti, ultrò affingant illis quos infra ſe deprimere geſtiunt, ſententias à quibus plurimùm alieni ſunt. *Secundo*, *Fallacia plurimarum interrogationum*, quando diverſæ quæſtiones confuſè enuntiantur intra unicam. *Tertiò*, *A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*, quando Quæſtio uno reſpectu inſtituitur, abſolutè verò probatur v. rejicitur. 4. Sophiſma triplex.

Q. Quomodo ſeſe componere de-

bet

bet mens noſtra, ut tertias ideas, ſubjecti & attributi relationes elucidaturas, inveniat?

5. Quæ ad argumenta excogitanda viam muniant.

R. *Primo*, Ideæ quibus componuntur ſubjectum & attributum quæſtionis propoſitæ, quàm attentiſſimè fieri poterit, ſunt excutiendæ, partes quibus conſtant nunc ſigillatim, nunc conjunctim examinando, & definitiones loco definiti ſubſtituendo; hæc enim ſedulò facientibus ſiſtentur ideæ ſubjecto & attributo quæſtionis affines, & conſequenter idoneæ ad nexum, inter utrumque intercedentem, manifeſtandum. *Secundò*, A ſe ipſa quærat oportet mens noſtra, quid ſcitu opus ſit ad ſolvendam quæſtionem, quæ proprietates ſubjecti, quæ attributi, ſemel cognitæ, relationem utriuſque patefacerent; Talia quærenti haud dubiè ſe ſiſtent proprietates quarum Lux deſideratur. Tali attentione ſubjecti & attributi Ideæ ampliabuntur, atque tandem in iis quid deprehendetur, quò inter ſe devinciantur. *Tertiò*, Habitum eliciendæ & inveniendæ tertiæ illius, quam *Argumentum* vocamus, ideæ, inducent, *Primò* Diligens

gens Auctorum ſtudium, qui quô ordine, ipſi inventa ſua excogitarunt, eôdem & ea libris ſuis diſpoſuerunt. *Secundò*, frequentia Colloquia cum talibus. *Tertiò*, Singulariter Algebræ lectio atque praxis. *Quarto*, Imitatio ejuſmodi Magiſtrorum, quæ felicius ſuccedet. *Quintò*, ſi tempora ſeligantur quibus mens eſt maximè vivax & ſerena.

Q. Sunt qui poſt expoſitum ſtatum quæſtionis præcipiunt adeundas eſſe ſingulas relationes (quas idcircò vocant *Locos Communes*, ut pote omnibus quæſtionibus auxilia ſuppeditantes,) atque ordine quærendum, num Cauſa, num Effectus, num Adjunctum, quicquam ſint ſubminiſtratura, unde lux quæſtioni affulgeat. 6. Ad argumentorum inventionem locos conſulere communes parum aut nihil conducit.

R. Talis à determinatis relationibus quæſtionis propoſitæ, ad vagas relationuum ideas reverſio, mentem diſtrahit, efficitque demum, ut pro determinatis relationibus, quæ demonſtrantia Argumenta ſuppeditarent, vagæ tantùm ideæ excitentur, quæ non aſſurgunt ultra probabilitates

tes & ab oppoſitis vagis itidem, nec minoris ponderis infirmantur.

Q. Vellem aliquò Exemplò mentem pleniùs declarares?

R. Sic igitur Quæſtio propoſita num bellare liceat? Locum communem cauſarum conſulendo, in mentem venient, Cauſæ bellorum, Ambitio, Crudelitas, Avaritia, Vindictæ cupido, indeque concludendum erit meritò inter illicita reponi cauſarum adeò injuſtarum genuinam prolem. Quæ concluſio & falſa eſſe poteſt & ab oppoſitâ, ſimiliterque deducta revinci, cùm inter cauſas bellorum veniat quoque innocentiæ adverſus uſurpatores tutela, atque ſuorum, ſibique jure debitorum, ubi denegantur, violenta repetitio; Præſtitiſſet igitur. *Primò*, quærere quid ſit bellum. *Secundò*, quotuplex, *Tertiò*, quid juſtum, id v. c. quod ad ſocietatem tuendam & conſervandam conducit, *Quartò*, Diverſis bellorum ſpeciebus illam definitionem applicare.

Q. Orationis partes ſingulas ad ſuum quemque locum vocare, nonne neceſſarium judicas?

R. Poſt-

R. Poſtquam res ipſa, attentè inſpecta, tibi indicavit ad quam claſſem Argumentum quod excutitur pertineat, non negaverim majoris confirmationis cauſâ, claſſis illius canones & requiſita utiliter mente percurri & præſenti negotio applicari, ut ex iis obſervatis Argumenti vim confirmes, aut ex iis neglectis, de ejus imbecillitate adverſarium convincas pertinacem, quòd regulæ illæ generales omnibus tanquam obſervatu neceſſariæ probentur; *Secundò*, Fatearis tamen oportet vim Argumentorum tutiùs dijudicari ab iis qui hærent ideis determinatis, quàm ab illis qui ad vagas notiones divertunt; à prioribus Lux & Diſtinctio, à poſterioribus Obſcuritas, Confuſio & Error; *Tertiò*, nec niſi poſt determinatè cognitas orationis partes, tutò affirmare potes ad quam Claſſem ſingulæ pertineant, non igitur revocatio illa aperit Auctoris ſenſum, quin contrà prius cognoſcitur oportet, quàm illa revocatio fiat.

7. De Analyſium utilitate.

„ Quintilianus. Jam ætatis eſt „ uſuſque noſtri, à capite quod ve„ limus arceſſere, Quis enim orator

„ mag-

„ magnus & gravis, cùm iratum adverſario Judicem facere vellet, hæſitavit ob eam cauſam quod neſciret quid ſit Iracundia. „

Q. Sunt qui, memoriæ firmandæ gratiâ locis illis communibus ſequendis, & juxta eorum ſeriem orationibus ſuis diſponendis aſſueſcant.

8. An ideò ſequendi loci communes quòd memoriam juvent.

R. Niſi juxta eandem locorum communium ſeriem, Orationis partes ſemper diſponantur, leve erit quod inde petitur memoriæ adjumentum, quique v. c. à cauſis ad effectus, ab effectis ad adjuncta, ab his oppoſita progredi ſolet, ille turbabitur, ſi ei ſit incipiendum ab effectis, inde procedendum ad oppoſita, ab his remeandum ad adjuncta, à quibus ad Cauſas aſcendendum erit nam ſemper ab evidentioribus procedendum, ad ea quæ illuſtrari diſtinctius opus habent.

Q. Quibus ergò aliis fulciminibus memoriam juvares?

R. Niſi Pſittacorum propemodum more Orator recitet, *primò* ſcopum certè ſibi quò tendat ante omnia præſtituit, cujus aſſequendi cupiditate incenſus, media *ſecundò* ubi detexe-

texerit ad hunc ducentia finem, quomodo eorum oblivifci poterit. *Tertiò* Finis aſſequendi gratiâ eſt quoddam medium uſurpandum, ad quod porrò obtinendum auxiliô *ſecundi* opus eſt, quod ſecundum *tertii* opo comparabitur. Oratio cujus partes tali nexu devinciuntur, nec titubanter recitari, nec ſucceſſu deſtitui poterit. (*a*)

Q. Quæ obſervanda præcipis tertiam Ideam *applicaturo?* 10. In applicatione tertiæ ideæ æqui vocatio ſollicité vitanda.

R. Conferatur illa idea ſeorſim cum quæſtionis terminis, ut deinde inter ſe componantur illi termini, pro

(*a*) HOR. *D. Art. Poët.* ℣. 38.
Sumite materiem veſtris qui ſcribitis æquam.
Viribus; & verſate diu, quid ferre recuſent.
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

pro ratione ſuæ cum tertiâ ideâ re-relationis; prima collatio conſtituit *Præmiſſas*; Secunda *concluſionem*, & quidem duæ Præmiſſæ ſunt, in quarum unâ Idea media cum Subjecto, in alterâ cum Attributo comparatur; *Secundò* eodem ſenſu accipiatur prorſus medium collatum cum ſubjecto, eôdem collatum cum attributo concluſionis, terminique in concluſione accipiantur præciſè quomodò accepti fuerant in præmiſſis; *Imprimis* diligenter attendendum, quô ſenſu ſubjectum, quô ſenſu attributum, cum tertiâ ideâ jungantur, nam quô ſenſu cum illâ ideâ conjunguntur, eôdem inter ſe jungi, non aliô inferre licet; Si cum parte ſubjecti, media illa Idea ſocietur, eam demum partem, non aliam attributo connectere jus erit, *adeoque* & ex particularibus præmiſſis univerſalem inferre concluſionem contra rationem foret, niſi aliunde pateret eandem eſſe rationem omnium ac nonnullarum; ſic ex neceſſaria mediæ ideæ cum ſubjecto & attributo connexione neceſſariò quoque ſubjectum & attributum inter ſe conjungi concludes, ſicuti ſocietatem

tem utriuſque contingentem, ex contingenti & poſſibili eorum, cum mediâ ideâ, ſocietate.

Q. Quo nomine veniunt apud Logicos Sophiſmata in Regulas proximè præcedentes peccantia?

R. *Primò*, *Sophiſmata Accidentis*, quando ex contingentibus præmiſſis neceſſaria concluſio infertur cui ſophiſmati affine eſt quod dicitur *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*. Quod ſophiſma; committitur, ubi quod relativè &, incertis circumſtantiis verum eſt, id aſſeritur univerſaliter & abſolutè. Sic effectus, qui vires naturæ ſuperat, abſurdè impoſſibilis omni ſenſu, pronunciatur. *Secundò*, *Compoſitionis & diviſionis* dicitur, quando, à ſenſu diviſo inferimus ad Compoſitum, & à compoſito ad diviſum, *Senſus* nempe vocatur *diviſus* quando quæ alicui ſubjecto ineſſe dicuntur, ea non ſimul, ſed ſucceſſivè ei competere concipiuntur; *Senſus* contrà *compoſitus* eſt, quando, quô tempore attributum unum ſubjecto adjacet, eodem tempore & alterum. *Tertiò Petere principium* dice-

II. Sophiſmata ex perperam applicatâ tertiâ ideâ.

dicebantur, qui ex Principiis Concluſionem deducebant, ipſa concluſione minimè evidentioribus, ſed quæ non minus quàm ipſa concluſio in diſceptationem venire merebantur.

TERTIÆ

TERTIÆ PARTIS
LOGICÆ
CAPUT TERTIUM.

De Teſtimonio & conſequenter de aſſenſu fidei.

Q. QUot ſunt *Argumentorum* ſpecies?

R. Duæ primariæ, nam argumentorum alia efficiunt, ut attributi ideam intra ſubjecti notionem ipſi contentam cernamus; aliis verò obtinetur, non ut ipſi quidem attributi Ideam intra ſubjectum percipiamus, ſed contentam ſupponamus, talique ſuppoſitioni non ſecus ac viſis adhæreamus. 1. Diviſio argumentorum.

Q. Quomodo vocatur aſſenſus quem poſteriora impetrant? 2. Definitio fidei.

R. *Fides.*

Q. An de iſtis dicere Logici munus eſt?

3. Rei momentum.

R. Omninò, cum enim omnium teſtes ipſi eſſe nequeamus, nec omnia noſtris uſurpare oculis, cavendique rumores incerti, regulis aliquot muniendi ſumus, ut fabulas ſeponamus à veris teſtimoniis, quibus non minor fides habenda, quàm à propriis ſenſibus perceptis.

4. Vis teſtimoniorum non extenditur ad contradictoria, nec ad concluſiones operationis educendas.

Q. Quænam ea ſunt, ad quorum demonſtrationem argumenta hujus generis non ſunt adhibenda?

R. *Primò*, Contradictoria, talia quippè narranti fides omnis meritò denegatur, hæc enim credere impoſſibile eſt.

Secundò, Quæ ex principiis ope multiplicium conſequentiarum deducuntur concluſiones, à nullâ auctoritate humanâ vim demonſtrationis accipere poſſunt, nullius enim hominis tantum eſt acumen, tanta perſpicacia, tanta ſoliditas, ut in talibus ſupra errorem poſitus credi debeat.

Rationibus oportet quare quidquid ſit ita docere, non eventibus iis præſertim quibus mihi liceat non credere.

Q. Nul-

Q. Nulline caſus ſunt in quibus *Peritiorum auctoritatem* imperiti ſequi tenentur? 5. Quando liceat auctoritatem ſequi etſi non indubiam.

R. Sunt, nam ubi agendi neceſſitas incumbit, probabili ſtandum eſt, ſi certum & indubitatum adipiſci non detur.

Duplex eſt via quam ſequimur, cùm rerum nos obſcuritas movet, aut Rationem, aut certe auctoritatem.

Q. Quænam ergo propriè ſubjacent *Teſtimonio?* 6. Teſtimonii objectum.

R. *Res facti*, quæ ſenſibus dijudicari poſſunt.

Q. Sunt ne omnes pariter planæ? 7. Quandoque arduum.

R. Minimè; ſenſibus quippe deteguntur nonnunquàm tenuia, remota, compoſita, evolantia, & in quibus decipi pronum eſt; in iſtis igitur vis teſtimonii ex teſtantis acumine, ſolertiâ, diligentiâ, prudentiâ, cautionibus obſervatis pendebit; hinc *peritis in ſuâ arte potiùs creditur quàm aliis.*

Q. In genere unde pendet *Teſtimonii auctoritas?* 8. Teſtimonii fulcrum duplex.

R. Ex acumine & veracitate teſtis nobis compertâ.

9. Sinceritatis argumenta. Q. *Sinceritas* ex quibus indiciis manifeſta fit & indubia?

R. Teſtantis ſinceritatem *Primo*, arguit morum probitas, vitæque tenor integer. *Secundò*, teſti fides tantò ſecurior accedit, quò loqui inutilius, tacere verò aut contrà dicere utilius ipſi fuiſſet. *Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem. Improbi ſæpè parva.* Cic. pro Milone. *Sic vita hominum eſt, ut nemo ad maleficium conetur, ſine ſpe atque emolumento, accedere*, pro Roſc Am. Quis jura omnia mutare unquàm conatus eſt cum vitæ periculo ſine quæſtu. *Tertiò*, ex multitudine teſtium & idem & perſeveranter Teſtantium confirmatur fides; quæ *Quartò*, meritò ſupremum certitudinis gradum obtinet, ſi divitias paupertati, decus ignominiæ, vitam morti commutandam præviderint teſtes. *Quintò*, teſtium auctoritatem roborant res ipſæ narratæ, ſi falſæ facilè refutari potuiſſent, neminemque aſſentientem habuiſſent. *Sextò*, roborat conſequenter & inconcuſſè ſtabilit conſenſus eorum, qui teſtantibus ipſis fidem habuerunt, ſi ſint numero plures, per-

perſpicaces, quorumque plurimùm intereraт falſo fidem denegare. Quod illi, in quibus affectuum vim & partium amorem ſuſpicari non poſſumus, conſtanter aſſerunt id certum eſſe omninò debet. Quæ verò continent, quæ illis temporibus, quibus ſcripta fuerunt convenire non poſſunt, aut quæ nullo illorum temporum, certæ fidei, auctore memorantur teſtimonii vim non habent.

Q. Quænam *Teſtimoniis accenſeri* ſolent? 10. Teſtimonio affinia.

R. *Primò*, Sententiæ illuſtres & Proverbia vulgi, quòd teſtantur, qui mores & quæ opiniones receptæ fuerint tùm cùm tales ſententiæ, taliaque proverbia introducta & vulgata fuerunt. *Secundo*, res quoque ipſæ teſtari dicuntur, quando monumenta ſunt actiones quaſdam, non ſecus ac vocabula feciſſent, declarantia.

Q. *Silentium* quibus in caſibus vim habet teſtimonii? 11. Silentium quandoque valet ad fidem faciendam.

R. Cùm tacuit qui, ſi res extitiſſet, de quâ quæſtio inſtituitur, & quæ ob ejus ſilentium negatur, ſci-

viſſet, debuiſſet, potuiſſet, voluiſſet teſtari.

12. Teſtium Collatio.

Q. Ubi *non conſentiunt* inter ſe de eâdem re Teſtes quid faciendum?

R. Quærendum uter Sincerior, uter Doctior & rebus narratis propior; uter diligentior & magis accuratus; utri diſſimulare utilius fuerit.

Q. Nonne ex *Veriſimilitudine* narrationis meritò argumenta ducuntur?

13. Veriſimilitudinis vis.

R. Nonniſi probabilia, nam ſunt & fabulæ veriſimiles, plurimaque quotidie evenire poſſunt quàm facillimè, quæ tamen non eveniunt.

Q. Unde fit igitur ut *proni* adeò ſimus ad aſſentiendum narrationi veriſimili?

14. Unde facile aſſentimur veriſimilibus.

R. Sequitur mens, in præbendo, aſſenſu, vim *habituum* & *conſuetudinis*, atque grave ipſi eſſe ſolet aſſenſum cohibere.

15. Rei cum teſte collatio ſuſpendit mentem vel circa rei veritatem.

Q. Quando paris ponderis argumenta ſtant, hinc pro narrationis abſurditate, inde pro teſtis auctoritate quid faciendum?

R. Si rationes, ex rei narratæ naturâ & circumſtantiis deſumptæ, ad narrationem falſi arguendam non vali-

validæ ſint minùs, quàm quæ ad teſtis acumen & ſinceritatem ſtabiliendam adhibentur, judicium profectò ſuſpendendum erit.

Q. At ſi Teſtes quorum auctoritas omni dubitatione major, quid narrent incredibile & contradictorium, quô te pactô geres, nam contradictorium credere nequis, nec auctoritatem tantam in dubium revocare potes?

R. Neutrum igitur faciam, inferre contentus non ſatis à me intelligi teſtium mentem, obſcurumque eſſe narrationis ſenſum, ſive propter rei narratæ naturam, ſive propter ſermonis indolem. 16. Vel circa Teſtimonii ſenſum.

Q. In quo poſita eſt *Fidei obſcuritas?* 17. Fides obſcura.

R. In eo quod propoſitionis ejus, quam fide recipimus, attributi cùm ſubjecto nexum non videamus, ſed ſupponamus.

Q. *Lux* igitur omnis à fide *abeſſe* debet & poteſt?

R. Minimè, nam *primò* fides percipit ſenſum propoſitionis cujus veritatem amplectitur, & conſequenter habet aliquas notiones ſubjecti & at- 18. Non omni reſpectu ſed fidei lux duplex.

 tri-

tributi, quibus talis propoſitio conſtat, qui enim fide credit, ille aſſentitur *non verbis* tantùm *ſed ideis.*

Secundò fides ſupponit claram intelligentiam argumentorum Teſtis auctoritatem demonſtrantium. Tria ſunt finitima quidem, ſed diſtinctione digniſſima intelligere, credere, opinari, primum ſemper ſine vitio, ſecundum aliquando cum vitio, tertium nunquam ſine vitio, Quod intelligimus, debemus Rationi, quod opinamur errori, quod credimus auctoritati, qua ſemper in aliqua ratione fundatur Aug. de utilitate credendi Idem, Nullus credit aliquid niſi prius cogitaverit eſſe credendum.

19. Affectus fidei nonnunquam præcipuum fundamentum.

Q. Sed è plebe chriſtianâ multos videre eſt, Deum timentes & amantes, in eum ſperantes & ei obſequentes ex animo, qui claris argumentis ſcripturam à Deo profectam demonſtrare minimè poſſent, & qui ut de ejus divinâ orgine nunquam dubii, ſic de eâ, ex argumentis confirmandâ nunquam ſolliciti?

R. Sunt quibus Scripturæ Sacræ dogmata, præcepta, exempla, promiſſa adeò placent, ut toto corde in ſuavi-

viſſimam illam revelationem recumbant, nec unquam *fide vacillante* ſpectent ea, in quibus credendis fœlicitatis ſuæ ſummam reponunt; qui cordis aſſenſus; ex ſanctiſſimâ origine procedens, Deo, à cujus gratiâ derivatur, non poteſt non ſummè placere.

CAPUT QUARTUM.

De Sophiſmatibus Auctoritatis.

Q. NOnne argumenta ab auctoritate ducta ſua quoque habent Sophiſmata? 1. Tranſitio, cur homines à perſonis adſententias argumentari ſoleant.

R.. Et quidem ſæpiùs, quàm decantata illa in ſcholis, in errorem inducentia, quandoquidem hominibus laboris impatientibus & moleſtiam examinis fugientibus commodum videatur, miſſo rei examine, ad ſententias aliquas admittendas vel rejiciendas, argumentis induci ab auctoribus illarum ſententiarum deſumptis.

Q. Quibus rationibus inducuntur ut Auctoribus aſſentiantur? 2. Aſſenſum impetrantia.

 R. Iis

R. Iis omnibus quæ amorem & venerationem excitant, & tales ſunt fama, divitiæ, dignitates, morum comitas.

3. Aſſenſum inhibentia.

Q. Quænam ea ſunt quibus Mens humana decepta, ab auctoribus etiam verum dicentibus avertitur?

R. Qui odiô in aliquem cæteros præoccupare ſtudent, *primò* nævos ejus propalant, *ſecundò* in majus extollunt; *tertiò* quæ ſunt dubia & in ſe ambigua, ea in ſequiorem partem trahunt; *quartò* quæ recta ſuſpicionibus obſcurant; *quintò* traducunt præſertim ſibi adverſos, quaſi motivis agerent ſceleſtis, uti ſunt in nova prurigo, turbarum amor, ſuperbus cæterorum contemptus, in ſuperiores animus inſurgens, legumque proculcatrix libido. *Sextò*, præoccupantur quoque mentes & avertuntur ab auctoribus, ineptâ ſententiarum quas fovent explicatione. *Septimò*, argumentorum quibus eas confirmare tentant, ſi quæ debilia fortè occurrant, refutatione, riſu, contemptu, ſibilis. *Octavò*, Conſequentiarum cùm neceſſariarum, tum ſecùs deductarum imputatione. Sententia quæ impugnan-

gnanda imputatione ſuſcipitur, damnatis aliorum hominum ſententiis confertur.

Pondus tenuiſſimæ ſententiæ exaggeratur.

Vox aliqua mutata in graviſſimum crimen imputatur.

Adverſarii rationes occultantur aut minuuntur, & quibus ipſi premuntur Difficultates diſſimulantur.

In deteriorem partem accipiuntur, quæ commodè explicari poſſent & deberent. Ad præoccupatos judices provocant.

Exempla quoque non infrequenter occurrunt iniquorum hominum, qui ex aliorum detrimento creſcere cupientium, quibus poſſunt odioſiſſimis artibus eos traducunt atque infamant, quorum ſcripta ab aliis legi reformidant, ne furta & plagii crimina quibus rei ſunt, luci exponantur. Quæ enim ab illis autoribus deſcripſerunt tanquàm ſuos fœtus impudenter publicæ luci exponunt.

Mores contrarias ſententias noſtris defendentium traducere, cùm nihil ad ſententiæ ſive vetitatem ſive falſitatem mores conferre proſunt, contrà

trà jus & æquum eſt. Eſt illa ex Græcorum levitate perverſitas, ut maledictis inſectentur eos à quibus diſſentiunt. Cic. (*a*)

Q. Nonne meritò tanquam turbarum

(*a*) HOR. Sermon. *L. I. Sat. IV.* ℣. 81.

- - - - Abſentem qui rodit amicum;
Qui non defendit alio culpante; ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non viſa poteſt; commiſſa tacere
Qui nequit; hic niger eſt; hunc tu Romane, caveto.
Lividus ac mordax videor tibi? mentio ſi qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit; defendas, ut tuus eſt mos;
Me Capitolinus convictore uſus amicòque
A puero eſt, cauſaque mea permulta rogatus
Fecit; incolumis lætor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. Hic nigræ ſuccus loliginis: hæc eſt
Ærugo mera:

barum auctores traducuntur, qui novis diſſentiones excitant atque ſchiſmata?

4. Quibus, turbæ ex novis ortæ imputandæ.

R. Immeritò turbarum reus cenſebitur qui ſententiam aliquam proferre, argumentiſque, quibus in eam inductus eſt, firmare contentus, paratum ſe profitetur eandem abjicere ſi dedoceatur; & contrà litterariæ quietis perturbatores meritò accuſantur, qui eruditum orbem novis quibusdam inventis ditare conantes, non argumentis oppugnant, ſed injuriis obruunt.

5. Legi nimium litteraliter obſequens injurius quandoque in magiſtratum.

Q. Sed *Novatoris* infamem titulum an declinare poteſt, qui leges ipſas convellit, atque à Magiſtratuum auctoritate ſancitas inſtitutiones mutare aggreditur?

R Quaſi verò ejuſmodi Legibus exceptiones tacitæ non adjaceant. Quiſve credat Logicam Rami, Ethicam Ariſtotelis, Phiſicam Magiri; ſic à Magiſtratibus in ſcholis noſtris commendari, ut talia mutare melioribus nunquam liceat, etiamſi longè meliora invenirentur: Si Magiſtratus eſſent numina noſtra, impietatis crimine reum ſe faceret, talia cogitans de ſuis numi-

numinibus; ſtatuit ergo ſuprema auctoritas ut talibus & talibus contenti ſimus, donec meliora inventa fuerint, quæ ſi quis excogitaverit, ut examinentur ea proponat & approbata demum ſequatur.

6. Conſequentiarum uſus & abuſus.

Q. Contra errantem nonne licet *argumentari ex conſequentiis?*

R. Sententia aliqua erroris poteſt argui ob conſequentiam erroneam indè neceſſariò deductam atque fluentem; ſed tanquàm iniquæ ejuſmodi conſequentiæ Patronum minimè licet eum traducere, qui ex principiis ſuis negat talem conſequentiam fluere, eam rejicit, principiaque ſua mitteret, ſi ejuſmodi conſequentiæ fulcimina eadem crederet.

7. Antidota.

Q. Quibus auxiliis mens ſeſe muniet adverſus talia Sophiſmata?

R. Eſt ab omnibus iis quæ ad rem nihil faciunt, & libertate ſuâ mentem examinaturam ſpoliare apta ſunt, attentio ſolicite ſevocanda.

8. Quo in caſu auctoris perſonam aggredi liceat.

Q. Nonne quibus armis ipſi premimur, quandoque adverſarios viciſſim premere licet, atque in ipſos noſtrorum mentes præoccupare?

R. Adverſarii vitia tunc demùm expo-

exponere fas eſt, ubi abutitur auctoritate ſuâ, ejuſque pondere Aſſeclas quàmplurimos ſibi ſubjectos detinet, ſed tali caſu, in quô auctoritatis iniquæ everſio licita eſt, exceptô, non ſunt malæ artes imitandæ, quibus veritas redditur ſuſpecta, & eorum quos dedocere cupimus animos à nobis amovemus.

CAPUT QUINTUM.

De Syllogimis.

1. Syllogiſmi definitio.

Q. QUid eſt Syllogiſmus?

R. Oratio ratiocinia mentis declarans.

Q. Quotuplex eſt?

2. Diviſio prima.

R. Multiplex, & primò dividitur in *Scholaſticum & Civilem.*

3. Qualis in ſcholis uſurpari Solitus.

Q. Quid intelligis per *Scholaſticum?*

R. Quàm ſimpliſſimis (& omni ſepoſito ornamento) ideas unde ratiocinium componitur, ejuſquè compoſitionem, verbis enunciantem.

Q. Et quis tibi dicetur *Civilis?*

R. Is in quo elegantiæ habetur

ratio,

4. His quid uſus vitæ ſupperaddat.

ratio, qui pro urbanorum hominum moribus attemperatur, & varietate & ornamentis multiplicibus orationis conditur.

5. Diviſio ſecunda.

Q. Da tuam Syllogiſmi ſecundam diviſionem?

R. Syllogiſmus eſt vel *Regularis* vel *Irregularis*.

6. Regularis Syllogiſmi definitio.

Q. Quis eſt Regularis?

R. Qui tribus conſtat propoſitionibus, in quarum primâ medius terminus, ſive argumentum, cum quæſtionis attributo, in ſecunda cum ſubjecto confertur, in tertiâ ſubjectum & attributum quæſtionis rurſus inter ſe componuntur. Duæ priores *Præmiſſarum* nomine veniunt, Tertia verò *Concluſio* vocatur, in eô ab ipſa *Quæſtione* diſcrepans, quòd quæſtio ut *dubia* proponitur; concluſio ut *probato* effertur.

Concluſio à quæſtione quomodo differat.

7. Præmiſſarum nomina & nominum ratio.

Q. Nonne ſingulæ Præmiſſæ ſuum nomen habent ſibi proprium?

R. Habent, & quidem prima vocatur *Propoſitio*, nomen ſcilicet univerſale ſibi vindicans: Adde quòd in Sillogiſmis compoſitis (uſu ut videbimus maximè frequentatis) prima propoſitio ſummam totius Ratiocinii

cinii ſtatim exponat. Secunda dicitur *Aſſumtio*, quòd eorum quæ in primâ poſita fuerunt, partem reſumat; Prior quoque *Majoris* nomen obtinet, quòd attributum Quæſtionis, in eâ cum argumento collatum, univerſaliore terminô efferatur, & pluribus quàm nomen ſubjecti rebus plerumque applicabili; quæ cauſa eſt ut Aſſumptio terminum minùs univerſalem continens *Minor* dicatur.

Q. Nondum definiviſti *Irregulares?* 8. Irregularis Syllogiſmi definitio.

R. Facilè quippe elicitur quid ſit Irregularis ex Regulari ſemel percepto; eſt enim Irregularis quicunque ab aliquô, ex Regularis Syllogiſmi requiſitis, recedit.

Q. Regulari nonne ſubſunt ſpecies, in quas iterùm dividatur? 9.

R. Imò, nam *Simplex* eſt vel *Compoſitus*; *Simplex* ille eſt, in quo medium ſemel cum ſubjecto, ſemel cum attributo Quæſtionis componitur; *Compoſitus* verò cujus prima propoſitio medium continet terminum, cum utroque concluſionis termino (qui extremi dicuntur) collatum. Diſtributio regularis in ſimplicem & compoſitum.

CAP.

CAPUT SEXTUM.

De Modis, & Figuris Regularis ſimplicis.

1. Simplicis diviſio duplex.

Q. SImplices an ulteriùs dividunt? R. Dividunt, & quidem ſuas deducunt diviſiones & ſpecies, vel ex diverſitate propoſitionum quæ dicuntur *Materia proxima*; vel ex diverſitate terminorum qui vocantur *Materia remota* Syllogiſmi.

2. Prima ex propoſitionum quadruplici diverſitate.

Q. Quam hic attendunt propoſitionum diverſitatem?

R. Eam quàm quatuor vocalibus *a. e. i. o.* deſignatam demonſtravimus libro ſuperiore.

Q. Inde verò quot Syllogiſmorum ſpecies exurgunt?

3. Modorum origo numerus, definitio.

R. Sexaginta quatuor; tot enim modis diverſis quatuor litteræ, ſi tres ſimul ſingulis vicibus jungantur, combinari poſſunt; quæ combinationum diverſitates Syllogiſmorum Modi appellantur; definiturque Modus *Attributum Syllogiſmi in Univerſalitate*

te & *Particularitate*, *Affirmatione aut Negatione Propoſitionum poſitum.*

Q. Ex *Terminorum diſpoſitione* quot diverſæ naſcuntur ſpecies? 4.

R. Quatuor, nam medius terminus *vel* eandem ſedem in utraque præmiſſâ occupat *vel* diverſam, ſi diverſam erit ſubjectum in majore & attributum in minore, *vel* contrà attributum majoris & ſubjectum minoris, quarum diſpoſitionum illa *Primæ* figuræ, iſta *ultima* i. e. *Quartæ* ortum procreavit. Medium locum obtinent ſecunda, (ubi medius terminus ſemper attributum,) & tertia ubi ſubjectum ſemper exiſtit. Figuræ.

Q. Supereſſet ut in quatuor exemplis quatuor illas figuras perſpicuas exhiberemus? 5.

R. *Unicam* igitur *Concluſionem* ex iiſdem propemodùm *Præmiſſis* quadrifariam deducam. Exempla.

Circulus non menſuratur per Quadratum 1.

Menſurabilitas eſt attributum Circuli.

Ergo quædam Menſurabilitas non Menſuratur per Quadratum.

Men-

2. Menſurari per Quadratum non eſt attributum Circuli.
Menſurabilitas eſt attributum Circuli.
Ergo quædam Menſurabilitas non
3. menſuratur per Quadratum.

Circulus non menſuratur per quadratum.
Circulus eſt menſurabilis.
4. Ergo quoddam menſurabile non menſuratur per Quadratum.

Nullum Quadratum æquat circulum.
Circurculus eſt menſurabilis.
5. Ergo quoddam menſurabile non æquat Quadratum.

Q. An vera fluit Concluſio quæ-
6. cunque ex veris ducitur præmiſſis, ſi modo Præmiſſarum illarum diſpoſitio ad aliquam ex quatuor Figuris poſitis pertineat ?

Regulæ. R. Sunt inſuper quædam Regulæ obſervandæ, ut præmiſſarum veritate concluſionis veritas ſtabiliatur.

Q. Quænam & quot ſunt *Regulæ*
7. Univerſales tres. illæ ?

R. Numero tres, quarum *Prima*, vetat concludere ex duabus præmiſſis negativis; ex iis quippe nec negans

gans nec affirmans poteſt elici concluſio legitima; non affirmans, nam ab eâdem ideâ mediâ duæ poſſunt disjungi, quamvis inter ſe non ſocientur, tanta enim eſt rerum diſcrepantia, ut duo à ſe invicem maximè diſſita abſint quoque ab aliquo tertio, neque tutò inferre licet diſſociata eſſe ea, quæ non componuntur cum eodem tertio, quin contrà hoc eſt unum ex attributis rerum conjunctarum ab eodem tertio diſtare. Ubi dixere. V. C.

Hiſpani non ſunt Turcæ.

Hiſpani non ſunt Ethnici.

Non licet concludere affirmando, *ergo Turcæ ſunt Ethnici.*

Uti nec licet negare poſtquam dixero.

Hiſpani non ſunt Aſiatici.

Hiſpani non ſunt Mahummedani.

Ergo Mahummedani non ſunt Aſiatici.

Secunda regula concluſionem ſolam admittit negantem, ſi altera præmiſſarum fuerit negans; nam ſi extremorum alterum cum medio ſocietur; alterum verò ab eodem alienum ſit, ſeparentur neceſſe eſt : Excluditur Secunda regula.

attri-

attributum à ſubjecto, ſi excludatur ab eo quod intra ſe ſubjectum continet vel à ſubjecto continetur, ſic V. C. ſi poſueris.

Eruditio non ſalvat.

Eruditio eſt ornamentum, licet concludere negando.

Ergo quoddam ornamentum non ſalvat,

Tertia regula. *Tertia regula* prohibet ſignificationem terminorum mutare, nam quas ideas inter ſe confert Concluſio, eaſdem præciſè, non alias debent cum medio conferre Præmiſſæ nec in ſecunda licet medium componere cum ſubjecto, diverſum ab eo quod in primâ cum attributo comparatum fuit, in id quippe Syllogiſmus inſtitutus eſt, ut qualiter ſe habeant inter ſe concluſionis termini, cernatur ex utriuſque relatione cum eâdem ideâ.

Si quis dicat,

Aliqui Chriſtiani ſunt pauperes

Aliqui divites ſunt Chriſtiani

Malè concludit, *ergo aliqui divites ſunt pauperes* quia non iidem Chriſtiani deſignantur in majore & minore.

Q. Syl-

Q. Syllogiſmi contra ejuſmodi regulas peccantes quo nomine veniunt?

R. *Sophiſmata* dicuntur, nomine ducto à ſapientia, quia veri, i. e. ſapientis ratiocinii formam texturamque imitantur, *præmiſſis*, nempe conſtant & *concluſione præmiſſa* rurſùs ex terminis tribus coaleſcunt *majore, minore* & *mediô*, inde Sohiſmatis nomen productum eſt, ad id omne deſignandum quô in errorem flectimur. Sophiſmatum definitio.

Q. Quibuſnam rationibus inducti hanc Ratiocinandi ſingularem Methodum Philoſophi celebres excogitarunt & adoptarunt. Cauſæ excogitanda Syllogiſticæ artis.

R. Antiquioribus ſæculis vivebant Sophiſtæ qui omnes ingenii vires impendebant, ut in ratiocinando inexercitatos turbarent & circumvenirent, præcepta contrà eorum argutias excogitare neceſſe fuit, quorum ope fallaces à veris argumentationes promptè diſcriminarentur, diſputationumque ambages reſcinderentur; Arſque illa unicè tendit eò ut duo termini conjuncti inter ſe agnoſcantur, prout fuerint conjuncti cum tertio.

Regulæ autem Univerſales, numero paucæ, quandoquidem ſolvendis qui-

quibuſvis Sophiſmatibus ſufficiant, particulares iis adjicere neceſſarium minimè videtur, ſicuti nec formarum quatuor ſyllogiſticarum, minùs naturales quæ ſunt numerô tres, in primam transformare, quod converſionem vocant ſyllogiſmorum, nam qui perfrictæ frontis admittere recuſaret concluſionem ex arte deductam in figurâ quadam, eam, pari audaciâ reſpueret, ſub alia formâ propoſitam. Equidem facile evenit ut opponens Reſpondentem impediat per Syllogiſmos verborum numero & complexione intricato, quorum ſi terminos in ſimpliciores mutet; facilem & promptam ſolutionem inveniet. Licet autem difficultatibus quæ compoſitæ ſunt, expediendis, per partes ordine & gradatim procedere.

Regula examinatur.

Q. Quid tibi videtur de iſtâ Regulâ, quam, ut ſolam neceſſariam ſufficientemque proponunt. Nempe; Quæcunque ſit forma ſyllogiſtica, ea rectè concludit; ſi præmiſſarum altera quidem concluſionem contineat, altera eam reverà contineri manifeſtum faciat.

R. Fateor procedere Concluſionem talis

talis Syllogiſmi, adeòque me in vim ejus inquirentem, ope hujus regulæ ſufficienter dirigi atque juvari. Verùm ubi duo diſputant, opponens quidem ſuſtinebit illa duo neceſſaria requiſita ad legitimum Syllogiſmum, in ſuo contineri, nec eorum ullum ipſi deeſſe. Id contrà negabit Reſpondens, dicetque, nihil à ſe tale videri; Cujus negationis, ne videatur merè pervicax, rationes ſentiet à ſe allegandas, quas ex terminorum aliqua æquivocatione meritò repetet, ſi Syllogiſmus contra requiſita Artis Syllogiſticæ peccet.

Diſſilio riſu cùm mihi propono Syllogiſmum & aptas illi facies, tanquàm pictor aſſigno. Hæc diſputamus attractis ſuperciliis, fronte rugoſâ. Non poſſum hoc loco non dicere illud Cæcilianum *O triſtes ineptias!* ridiculæ ſunt.

His locum dederunt Græci homines, contentionis cupidiores quàm veritatis, ut obſervat Cicero de Oratore. Qui Acad. Quæſt. 4. hæc ſcribit. *Perſpicuitas magnam habet vim, ut ipſa per ſeſe ea, quæ ſint, nobis, ita ut ſint, indicet. Sed tamen ut maneamus*

mus firmiùs & conſtantiùs in perſpicuis, majore quadam opus eſt vel arte, vel diligentiâ, ne ab iis, quæ clara ſunt ipſa per ſeſe, quaſi præſtigiis quibuſdam & captionibus depellamur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Syllogiſmis compoſitis.

1. Q. Compoſiti Syllogiſmi quomodo dividuntur?

Compoſitorum diviſio.

R. In *Conjunctos* & *Disjunctos*,

Q. Quos vocas *Conjunctos*?

2. Conjunctorum definitio & ſpecies.

R. Quorum major talis eſt, ut duarum quibus conſtat partium unâ affirmatâ alterius affirmatio eliciatur, vel unâ negatâ alterius negatio inferatur.

3. Disjunctus quis & quotuplex.

Q. Et qui ſunt *Disjuncti*?

R. Quorum major continet plures propoſitiones, ex quibus vel unâ affirmata cœterarum excluſio eliciatur, vel omnibus ſublatis præter unicam, affirmatio iſtius inferatur.

4. Q. Unde fit ut concluſionem aliquam probaturo, *Conjunctivus* qui & *Conditionalis* dicitur, menti promptûs occur-

occurrat, faciliuſque texatur, quàm *Simplex* quem *Cathegoricum* vocare amabant?

R. Mens quæ, intra ſe ratiocinans, utrumque ſimul terminum Quæſtionis contulit cum medio, ſuâ quoque ſponte fertur, ut quæ ſimul cogitatione junxit, eadem pariter conjuncta, atque unica propoſitione contenta efferat.

Conditionalis Syllogiſmus eſt maximè univerſalis.

5. Q. Qui fit igitur ut iſtis Cathegoricos præponere ſoleant?

R. Quia Concluſio id ipſum continere debet, quod proximè negatum fuit, adeòque ſi negetur propoſitio Conditionalis, conditionalem quoque ſequentis Syllogiſmi, concluſionem exurgere neceſſe eſt, quod ambagibus plenum videtur, prolixiores conſtituit propoſitiones, quæ quàm breviſſimè fieri poteſt, enunciari debent, ut commodè repetantur, nec à reſpondente mutentur.

Cathegorici in diſputationibus Scholaſticis commodiores.

6. Q. Nunquamne igitur iſtis locus eſt?

R. Imò, ubi ſcilicet tota controverſia in minore includitur. Talis eſt V. C. iſte Syllogiſmus.

Quando uſurpandi.

Si Geometria Phyſicæ ſit funda-

mentum, leviſſimi erunt ejus in Phyſica profectus, qui Geometriæ cognitionem neglexerit.

Atqui Geometria Phyſicæ fundamentum eſt.

Ergo, &c.

7. Q. Regulas exprome, quibus genuini Conditionales à Sophiſticis diſcriminentur?

Regularum duplex genus quorum duplicem utrumque complectitur ſpeciem.

R. Regularum quas quæris aliæ docent quid liceat, aliæ quid non liceat.

Duobus in majore poſitis Propoſitionibus atque conjunctis, ex admiſſâ primæ veritate, ſecundæ quoque admittendam eſſe veritatem inferre licet, viciſſim ex rejectâ ſecundâ primam eſſe rejiciendam concludere poteris: Sed falſi poſſet argui prior, poſterioris veritate illæſâ manente, concedique viciſſim poſſet poſterior, nec tamen inde priorem concludere neceſſe foret.

8. Q. Cuperem ut Regulam exemplis familiarem redderes?

Exempla.

R. Sit ergo poſita iſta propoſitio, *ſi fuerit feliciter negotiatus, dives eſt*, pergere licet admittendo, *atqui feliciter negotiatus eſt*,

Ergo

Ergo eſt dives.

Vel rejiciendo, *atqui non eſt dives.*

Ergo non eſt feliciter negotiatus.

Sed nec licet aſſumere, *atque dives eſt.*

Ergo feliciter mercaturam exercuit.

Nec rejicere, *atqui non felix fuit negotiando.*

Ergo non eſt dives.

Q. Quæ obſervanda disjunctivè ratiocinanti ſive Disjunctos Syllogiſmos uſurpanti? 9.

R. Iſtorum Syllogiſmorum vis unicè pendet, 1. Ex perfecta partium enumeratione, niſi enim omnes enunciertur caſus, qui verus eſt is fortaſſis omittetur. 2. Ex oppoſitione earum, aliàs ſi non adverſæ ſint, ex poſitione unius malè cæterarum remotio inferetur.

Disjunctivorum canones.

CAPUT OCTAVUM.

De Syllogiſmis irregularibus.

1\. Q. QUot & quibus de cauſis fit ut Syllogiſmi Irregulares extent?

Irregularitas ex triplici fonte. R. Irregulares ſunt vel ob *Defectum*, vel ob *Redundantiam*, vel ob *Tranſpoſitionem.*

2\. Enthimematis etymologia, definitio, & ſpecies. Q. Syllogiſmi *Deficientes* quomodo vocantur?

R. *Enthymemata*, quòd ex tribus, quibus Syllogiſmus componi debet propoſitionibus, quæ prætermiſſa eſt mente (*εν Θύμω*) ſuppleatur, deeſt porrò ſubintelligiturque vel *Major*, vel *Minor*, vel ipſa *Concluſio*, ubi ſcilicet ex perceptis Propoſitione & Aſſumptione ſatis ſuâ ſponte fluit.

3\. Q. Iſtius quamvis Irregularis, qui caſus ſunt ubi *uſus* eſt *commodus*?

Enthimematis locus. R. Ubi propoſitio ſubintellecta extra omne dubium poſita eſt, nam ubi negari poſſe prævidetur, enuntianda eſt, ut ſit concluſio, ſequentis Syllo-

Syllogiſmi, illa propoſitio quæ negata eſt.

Q. Redundantes ſuntne omnes hujus generis? 4.

R. Quinque enumerantur. *Epicherema*, *Proſyllogiſmus*, *Dilemma*, *Inductio*, *Sorites.* Redundantis ſpecies.

Q. Quid vocas Epicherema? 5.

R. Syllogiſmum in quo, alteri vel utrique, Præmiſſarum ſua adjungitur probatio, ne animus longa expectatione langueſcat, ſed ex iis quæ dubia videri poſſunt citiſſimè emergat. Epicherematis definitio & ratio.

Q. Epicherematis exemplum audire vellem? 6.

R. Elegantius non proferam eò quod ab ipſo Cicerone de Inventione libro primo ponitur. Exemplum.

Omnes Leges, Judices, ad commodum Reipublicæ referri oportet, & ex utilitate communi non ex ſcriptione, quæ in litteris eſt, interpretari: Eâ enim virtute & ſapientiâ noſtri Majores fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud niſi ſalutem atque Reipublicæ utilitatem proponerent; Neque enim ipſi quod obeſſet ſcribere volebant, & ſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repu-

repudiatum iri Legem intelligebant: Nemo enim Leges legum cauſâ ſalvas eſſe vult, ſed Reipublicæ, quod ex Legibus omnes Rempublicam optimè putant adminiſtrari; Quam ob rem igitur Leges ſervari oportet, ad eam cauſam ſcripta omnia interpretari convenit, hoc eſt, quoniam Reipublicæ ſervimus, ex Reipublicæ commodo atque utilitate Leges interpretamur; Nam ut ex Medicinâ nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad utilitatem corporis ſpectat, quoniam ejus cauſâ eſt inſtituta; ſic à Legibus nihil convenit arbitrari, niſi quod Reipublicæ conducat proficiſci, quoniam ejus cauſa ſunt comparatæ.

Ergo in hoc quoque definite Judices litteras Legis perſcrutari, & Legem, ut æquum eſt, ex utilitate Reipublicæ conſiderate. Quid enim magis utile Thebanis fuit quàm Lacedemonios opprimi? Quid magis Epaminondam Thebanorum Imperatorem, quàm victoriæ Thebanorum conſulere decuit? Quid hunc tanta gloria Thebanorum, tam clarô atque exornatô trophæô carius atque antiquiùs habere convenit? Scripto videlicet Legis omiſſô ſcriptoris ſententiam conſiderare debebat; at hoc quidem

dem ſatis conſideratum eſt nullam eſſe Legem niſi cauſâ Reipublicæ ſcriptam. Summam igitur amentiam eſſe exiſtimabat, quod ſcriptum eſſe Reipublicæ ſalute interpretari. Quod ſi Leges omnes ad utilitatem Reipublicæ referri convenit, hic autem ſaluti Reipublicæ profuit: profectò non poteſt eodem facto & communibus fortunis conſuluiſſe & legibus non obtemperaſſe.

Q. Deſcribe *Proſyllogiſmum*?

7. Proſyllogiſmi definitio & exemplum.

R. Proſyllogiſmus conſtat quinque propoſitionibus, quarum tertia Concluſio eſt Regularis, ex duabus prioribus tanquàm ex ſuis Præmiſſis fluens, & ſimul ipſa illa Concluſio altera eſt Præmiſſa cum quartâ propoſitione duas conſtituens Præmiſſas ſecundi ſyllogiſmi, cujus quinta propoſitio concluſio eſt; eſt ergo ſyllogiſmus compoſitus, intra quinque propoſitiones, duobus ſyllogiſmis, Ejus exemplum eſto.

Quod non eſt ſui conſcium non cogitat,
Extenſio non eſt ſui conſcia,
Ergo extenſio non cogitat; Sed id quod videt, cogitat,

Ergo id quod videt non eſt Extenſio.

Poſſem tertium ſyllogiſmum adjungere

Oculus eſt extenſio,

Ergo oculus non videt.

8. Dilemma. Q. Quid eſt *Dilemma?*

R. Syllogiſmus cujus major plures enumerat caſus, quos Minor ſigillatim approbat vel refellit; Concluſio colligit omnes ſummatim, totumque ex iis conflatum admittit vel rejicit.

9. Exemplum. Q. Dilemmatis eſto exemplum?

R. Qui miſſâ viâ ratiocinii ſeſe tradit illuminandum & edocendum à quadam divinâ luce intus radiante, id facit *vel* quòd ita ſuadeat ratio, *vel* quòd ita jubeat revelatio, *vel* quodam impetu fortuitò tentamineque ſui neſciò.

Atque id nulla ratio evincit faciendum eſſe, nec ullibi revelatio præſcribit, nec ſapienter agit, qui fortuitò nullaque evidenti cauſâ inductus, ſeſe ad aliquid, quod ſit maximi momenti, accingit.

Ergo penitùs, ſpecioſa illa via, nullo

nullo fulta ſolido fundamento, repudianda eſt.

10. Q. Quænam demùm firmum *Dilemma* conſtituunt?

Requiſita. R. *Primò*, plena in Majore enumeratio partium. *Secundò*, ſingularum Minoris partium ſolida confirmatio.

11. Q. Quomodo definis *Inductionem?*

Inductio R. *Inductio* eſt Syllogiſmus ex Singularibus Univerſale colligens.

12. Q. Hic quomodo peccari ſolet?

Unde vitioſa. R. Dum non gradatim ſed ſaltu præcipiti ad Propoſitiones aſcenſus fit Univerſalis.

13. Q. Supereſt definiendus *Sorites?*

Soritis natura. R. *Sorites* à græca voce σώρος, acervum notante; congerit medias ideas plures una, primamque inſerit ſubjecto, ſecundam primæ, tertiam ſecundæ, quartam tertiæ, unde infert quartam illam mediantibus ſecundâ & tertiâ contineri intra primam, & conſequenter intra ſubjectum, quô prima continetur.

Hujus exemplum habemus Rom. Cap. VIII. v. 28, 29, 30, 31.

Q. Quibus regulis tutus fit?

14. Regula. R. Iſtâ potiſſimùm. Significatio terminorum ne varietur, ſed quo ſenſu & reſpectu vocabulum aliquod in una Propoſitione aſſumitur, eôdem prorſùs in alia accipiatur. Vitioſè V. C. quis ita argumentaretur.

Litterarum ſtudium moroſitatem procreat
Moroſitas eſt vitium:
Vitium eſt ſummè fugiendum
Ergo litterarum ſtudium eſt ſummè fugiendum.

Termini quippe mutantur; nam pro moroſitatis procreatione, attributo primæ, habes in ſecunda ſimpliciter moroſitatem: Concedere autem poſſumus, moroſitatem eſſe in vitio poſitam adeoque fugiendam; nec tamen concedere ea omnia fugienda eſſe, unde poteſt moroſitas fluere. Ea ſunt declinanda quæ vitium procreant per ſe, ſed non quæcunque vitium procreant per accidens.

15. Q. Quinam Syllogiſmi ſunt Irregulares propter *Tranſpoſitionem?*

R. Quorum Propoſitiones *vel* quorum

rum Termini naturalem ſuam ſedem non obtinent, ut ſi Minorem primo loco, *vel* Subjectum alterius Præmiſſæ concluſionis ve ſecundo loco colloces. Tranſpoſitorum ratio.

Q. Quid faciendum ubi tales occurrunt excutiendi? 16.

R. Concluſio eſt primùm attendenda, ejuſque Termini juxta regulas ſuperiori Libro traditas ſuas in ſedes reponi debent, & Concluſionis ſubjectum manifeſtabit minorem ſecundo locô ſtatuendam. Reſtitutio.

CAPUT NONUM.

De Syllogiſmis ornatis.

Q. SUpereſt ut ſyllogiſmorum ſummum genus alterum *Ornatum* nempè nunc aperias? 1.

R. Ornatus eſt *vel* ex *Terminis*, vel ex *Propoſitionibus*; termini *vel* deficiunt, *vel* redundant, *vel* mutantur; *vel* à ſimplicitate ſummâ recedunt, quòd ſint Metaphorici *vel* Complexi. Ornatorum cauſæ & ſpecies.

Q. Ubi talia occurrunt quid faciendum ad tutum examen?

R. De-

Eorundem ad ſummam ſimplicitatem revocatio. R. Deficientes termini ſupplendi, redundantes omittendi, & mutati in Synonima ſua reſtituendi, Metaphorici ad Proprios, Complexi ad Simplices revocandi.

3. Q. Quis ornatus ex ipſis erit Propoſitionibus?

Ornatus in irregularitate. R. Si deficiunt, ſi redundant, ſi tranſpoſitæ ſunt de quibus jam dictum eſt.

4. Q. An Irregularitas ornamento poteſt eſſe?

Cur. R. Vel eô ipſô quòd mens varietate delectetur.

5. Q. Quomodo diſtingues eam redundantiam quæ inanis eſt, ab ea quæ ad argumenti firmamentum prodeſt?

Redundantia alia inanis, alia ad rem faciens. R. Si ordine quæratur qua de re ſit ſermo, quid de ea re dicatur, & quomodo quod dictum fuit probetur; Sæpè enim adjunctus terminus unicus, Syllogiſmo vim conciliat Epichematis.

6. Q. Nullamne noſti aliam ſpeciem Syllogiſmorum, ſive irregularitatem ve elegantiam ex propoſitionum forma trahentem?

R. Imò; extant quippè Syllogiſmi quo-

quorum concluſio conditionalis eſt, habentes certè quid elegans atque modeſtum; cùm iſtos uſurpans non ipſe determinare, ſed aliis determinandam concluſionem relinquere videatur. Syllogiſmorum concluſionem habentium conditionalem naturâ & elegantiâ.

Q. Quæ eſt potiſſima iſtorum *Utilitas?*

R. In genere declarant quæ ſit Quæſtio, cujus ex ſolutione controverſia diſcutienda, & ad quam diſcutiendam vis argumentorum omnis convertenda. 7. Uſus.

In ſpecie pudori ejus qui arguitur parcunt, ſimulque utilitati conſulunt, dum nec reum ipſum ponunt, & tamen quid ipſi ſit faciendum, ſi reus ſit demonſtrant.

Q. Quâ Arte diſcutiuntur?

R. Conditionalem præmiſſam, ſive ſit expreſſa, ſive ſubintellecta, in ſimplicem commutando. 8. Examen.

CAPUT

CAPUT ULTIMUM.

De Syllogiſmi utilitate.

1\. Syllogiſmi utilitas diſputantibus &c.

Q. Syllogiſmis *Scholaſticis* quam aſſignas *Utilitatem?*

R. Diſputantium utrique divagandi libertatem præripiunt; Videt reſpondens cui propoſitioni præciſè reponendum ſit, Adigitur opponens id præciſè quòd ipſi negatum fuit probare.

2\. Examinantibus.

Secundo, demonſtrationem quoque abſolutam Syllogiſticè retexere non inutile eſt; Cogitata quippe noſtra non ſemel tantùm expendenda, ſed iterùm atque iterum excutienda, eorumque nævi tantò certiùs detegentur quò diverſis viis pluribus inveſtigabuntur.

3\. Q. At per longas ambages Syllogiſmi eô accedunt, quô unô aut altero Ratiociniô pervenire potuiſſent?

R. Poſſent ambages reſcindi, atque prolixitas in compendium adduci,

duci, ſi *primò* quædam præmitterentur Principia, ex quibus ſemel à reſpondente conceſſis, tanquam ex Præmiſſis, *ſecundò* concluſiones Syllogiſticè deducerentur.

LIBER

modum exiguus fructus, inde ad lectores noſtros rediiſſet.

Q. Quæ, ut convenientiſſima illa ratio ſit diſponendarum cogitationum, in genere requiris? 2. Requiſita.

R. *Tria*, ut *brevis*, ut *tuta*, ut *plena* ſit.

Q. His tribus perfici methodum quomodo probas? 3.

R. Quia nihil eſt quod inſuper deſideret, qui intra *breve* tempus, *abſque* ullô *errore* admixtô, *plenam* objecti, in quod inquirit, cognitionem aſſequi poteſt. Omnia.

Q. Sed tria illa vix ſimul ſtare poſſe videntur, non parum enim temporis requiritur, & ad errorum ambages evitandas: & ad veritatem omnem ab ignorantiæ receſſibus educendam? 4. Sunt ſimul intendenda.

R. Sic trium requiſitorum ſingulis attendendum eſt; ut reliqua duo non negligantur, id eſt, ad certitudinem, v. c. & plenitudinem, per viarum, quæ huc dirigunt, eam contendendum eſt, quæ breviſſimè eò ducere poteſt, & reciprocè ea brevitas ſe-

ſequenda, quæ de certitudine & plenitudine nihil delibet. (*a*)

5. Q. Brevitatem quomodò aſſequeris?

Brevitati oppoſita. R. Eorum quæ moras afferunt declinatione.

6. Q. Quænam ea ſunt?

Duplicia & inde triplicia. R. Tardamur, *vel* cauſis internis, Facultatum videlicet infirmitatibus, *vel* externis, quæ ſunt, vel rerum multitudo, vel rerum confuſio, vel rerum obſcuritas.

7. Q. Ne multitudine obruti moras nimias nectamus, quæ cautio eſt adhibenda?

Multitudinis caſtigatio. R. Ea omnia quæ ad rem, cui cognoſcendæ incumbimus, non faciunt, ſedulò amovenda, quod obtinebimus ſtatum Quæſtionis nitidè ponentes.

8. Q. Quid verò faciendum ne confuſio-

(*a*) HOR. *de Art. Poët.* ℣. 25.
Decipimur ſpecie recti. Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio. Sectantem lenia nervi
Deficiunt animique. Profeſſus grandia, turget.
Serpit humi tutus nimium timiduſque procellæ.

fuſione turbati tempus diu fruſtraque conſumamus?

R. Quia confuſio ex multitudine rerum diverſarum in unam conjunctarum oriri ſolet, eſt objectum multiplex in partes diſtribuendum, ſingulariter & ſeparatim examinandas. Confuſionis reſtitutio.

9\. Q. Qui fiet ut nequidem obſcuritate detineamur? Obſcuritatis diſcuſſio.

R. Ab iis incipiendo quæ lucida per ſe ſunt, & à ſimplicioribus gradatim ad compoſita progrediendo.

10\. Q. Quæ procedendi rationes nos ab errore tutos præſtabunt? Methodus errorem declinat cautione triplici.

R. Ideæ ſeorſim, poſt Judicia, inde Ratiocinia, ordine excutiantur.

11\. *Ideas* quod attinet, quærendum *Primò*, an ſint ex earum genere quæ nobis datæ fuerunt ut eſſent rerum repreſentamina. *Secundò*, ad claſſes ſunt revocandæ ſuas, ut de ſingulis ex claſſis ſuæ monitis decidatur. Idearum inſpectione.

12\. *In Judiciis* diligenter ſpectandum, quæ motiva in aſſenſum flectant, an evidentiâ victi, an affectibus inclinari acquieſcamus. Judiciorum excuſſione.

13\. *In Ratiociniis* præſertim cavendum ne vocabulis decipiamur, adeoque *Primò.* ſunt ſeponenda familiaria, à Ratiociniorum reſolutione.

clarè

clarè cognitis. *Secundò*, Definitio loco definiti collocanda. *Tertiò*, Diligenter imprimis inſpiciendum, num quô ſenſu ſuperiûs aliqua Concluſio demonſtrata eſt, eôdem deinceps invariatô in Principium aſſumatur.

14. Q. Quæ Methodus ad plenam ducit cognitionem?

Ad plenitudinem ducunt diviſiones contradictoriæ.

R. Quæ per diviſiones procedit & ſubdiviſiones, quæ medium non admittant, adeòque contradictorias. Per illas *Primò*, à Vaga Idea ad Determinatiſſimas eſt deſcendendum. *Secundò*, ex quibus ad vagas gradatim aſcendendum. *Tertiò*, diligenter in ſingulis aſcenſûs & deſcenſûs gradibus attendatur; nam aliquod membrum medium prætermiſſum ſit non animadverſum. *Quartò*, ordine Diviſionum inventarum Capita ſcribantur.

15. Q. Aliquid aliud habes quò tantò magis perficiatur, tria requirens ad ſui abſolutionem, optima Methodus?

Alios audire utile.

R. Alii conſulendi & ſepoſitô præjudiciô audiendi, nam cùm veritas ſit unica, & multæ errandi viæ pateant,

teant, vix in eandem prorſus inducent duo qui ſeorſim meditati fuerint. (*a*)

Q. Id

(*a*) HOR. *Epiſt. L.* II. *Epiſt.* 2. *v.* 106.

Ridentur mala qui componunt carmina: verùm
Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & ultro,
Si taceas, laudant; quicquid ſcripſere beati.
At qui legitimum cupiet feciſſe poëma;
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti:
Audebit quæcumque parum ſplendoris habebunt
Et ſine pondere erunt, & honore indigna ferentur,
Verba movere loco; quamvis invita recedant,
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtæ.
Vehemens & liquidus, puroque ſimillimus amni,
Fundet, opes Latiumque beabit divite linguâ
Luxurantia compeſcet: nimis aſpera ſano
Levabit cultu: virtute carentia tollet:
Ludentis ſpeciem dabit, & torquebitur; ut qui
Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur:
Prætulerim ſcriptor delirus inerſque videri,

Dum

Dum mea delectent mala me, vel denique fallant
Quam Sapere & ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire Fragædos,
In vacuo lœtus ſeſſor plauſorque theatro;
Hic ubi cognatorum opibus, curiſque refectus,
Expulit elleboro morbum, bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe. Pol me occidiſtis, amici,
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error,
Nimirum ſapere eſt abjectis utile nugis,
Et tempeſtivum pueris concedere ludum;
Ac non verba ſequi fidibus modulanda Latinis
Sed veræ numeroſque modoſque ediſcere vitæ.
Quo circa mecum loquor hæc, taciturſque recordor:
Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ
Narrares medicis: quòd quantò plura paraſti
Tantò plura cupis, nulli ne faterier audes?
- - - - - - - - - Audieras cui
Rem Di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam, & cum ſis nihilo ſapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus iiſdem?

Non es avarus? abi: Quid? cætera jam ſimul iſto
Cum vitio fugère? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & irâ?
Senior & melior ſis accedente ſenectâ?
Quid te exempta juvat ſpinis de pluribus una?
Vivere ſi recte neſcis, diſcede peritis.
HOR. *Epiſt. L.* 1. *Ep.* 6. *in fine*
Vive, vale, ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.
HOR. *de Art. P. v.* 87.
Cur ego, ſi nequeo, ignoroque, Poëta Salutor?
Cur neſcire prudens prave, quàm dicere malo
Nec virtute foret clariſve potentius armis,
Quam linguâ Latium; ſi non offenderet unum
Quemque pœtarum limæ labor & moræ Vos ô
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura cœrcuti, atque
Perfectum decies non caſtigavit adunguem.
Ingenium miſerâ quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non unques ponere curat,
Non barbam: ſecreta petit loca, balnea vitat. O Nan-

Nanciſcetur enim pretium nomenque poetæ
Si tribus Anticyris caput inſanabile, nunquam
Tonſori Licino commiſerit. O ego Lævus,
Qui purgor bilem ſub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti eſt. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus & officium, nil ſcribens ipſe, docebo:
Unde parentur opes: qui alat, formetque poetam:
Quid deceat, quo virtus quò ferat error.
Scribendi rectè, ſapere eſt & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ;
Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.
Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis;
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes;
Quod ſit conſcripti, quod judicis officium; quæ
Partes in bellum miſſi ducis, ille profectò
Reddere perſonæ ſit convenientia cuique.

Reſpi-

Reſpicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem, & veras tunc ducere voces.
Interdum ſpecioſa loc is, morataque rectè
Fabula, nullius veneris, ſine pondere, & arte,
Valdiùs oblectas populum, meliùſque moratur,
Quàm verſus inopes rerum, nugæque canoræ.
Non ſatis eſt dixiſſe, ego mira pœmata pango.
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quinctilio ſi quid recitares; corrige, ſodes,
Hoc, ajebat, & hoc; melius te poſſe negares
Bis terque expertum fruſtra: delere jubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum, aut operam inſumere inanem
Quin ſine rivali reque & tua ſolus amares.
Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes;
Culpabit duros; incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:

16. Quod ſit difficile ob innatam. *φιλαυτίαν.*

Q. Id verò cu r adeò pauci in aimum inducunt?

R. *Primò*, Cum ita naturâ comparatum ſit ut homines ſe ſe maximè ament, adeòque ſe ſe ſuaſque ſententias, aliis aliorumque ſententiis præponere ſit ipſis ſuaviſſimum, quæ maximè placent vix adduci poſſunt ut impugnata non ægrè ferant.

17. Et contractus habitus.

Secundò, Habitus ab ineunte ætate contractus, monitorum ægrè ferendorum; quia primæ ætatis cupiditatibus monitorum pleraque omnia adverſabantur. Qui monitis adverſus

Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit:
Tiet Ariſtarchus; nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel, exceptumque ſiniſtrè
Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntque Pœtam
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautique ſequuntur.
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo
Non miſſucra cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

verſus habitus. *Tertiò*, Confirmatus eſt aut nos irridentium aculeis, aut nobis inimicorum objurgationibus.

Q. Tantæ difficultates, quâ arte quibuſve auxiliis ſuperabuntur? 18. Facile fieri poteſt ſi maturè cura adhibeatur.

R. In adeò perverſis habitibus non ſeneſcendum eſt, ſed dum licet per ætatem flexiorem ſuperandi ſunt, atque in oppoſitos convertendi.

Primò, Igitur non alium veritatem inquirens ſibi præſtituat finem, quàm officium & voluptatem ex veritate percepta manantem.

Secundò, Aſſueſcat amicos audire, qui per obſequium conciliantur, quoſque ſibi magis ac magis adjungere non minùs dulce quam utile eſt. Media Idonea adhibeantur.

Tertiò, Si veritatis cognitio ſit nobis theſaurus maximus, inimicorum ſpoliis diteſcere ab iiſque juvari, etiam cum nocere intendunt, ſuaviſſimum erit.

Quartò, Læti præſertim ea mutare debemus quæ ſemel prolata, materia triumphi de nobis reportandi adverſariis noſtris præberent.

 Q. Eo-

19. Adverſariorum objectiones quomodo prævideantur.

Q. Eorum verò ſententiam quomodò expiſcabimur, non enim cum inimicis frequens commercium?

R. A nobis poſt deductam aliquam concluſionem, attentè quærere debemus, quid ad principium unde deducta eſt infirmandum, quid ad conſequentiæ neceſſitatem convellendam ipſi diceremus, ſi pro partibus adverſis, vi præjudiciorum atque educationis ſtaremus. Quæ eſſent nobis quærenda atque ponenda firmamenta, adverſarium nacti ſi eſſemus ſubtilem & obſtinatum; Quâ ratione à nobis percepta horum rudi & imperito, non tamen prorſus ingeniô carenti concipienda tradere poſſemus; Quid curioſus ſagax & difficilis in methodo noſtra deſideraret, quid livore ductus in ea carperet, ut contra tela præviſa noſtram doctrinam undique muniamus.

CAP.

CAPUT SECUNDUM.

De Methodo ei ſequenda, qui propriâ meditatione verum inquirit Solitarius.

Q. PRæcepta hactenus generalia tradidiſti, his nonne adjungi poſſunt ſpecialiora? 1.

R. Poſſunt & debent, nam Methodus varianda pro hominum diſcentium ſtatu, & rerum naturâ cognoſcendarum. Methodi variantis foutes primarii.

Q. Quotuplex eſt Diſcentis ſtatus? 2.

R. Duplex, nam veritatem, *vel* per ſe ſolus inveſtigat, *vel* aliorum adjutus auxilio quærit. Diſcentis ſtatus duplex.

Q. Quæ obſervanda verum propria meditatione inquirenti? 3.

R. *Primò*, Quæſtionem in partes reſolvat. *Secundò*, Subjectum cum attributo comparando, à ſe quærat quænam ea forent quæ cognita relationem utriuſque elucidarent. *Tertiò*, Id poſtquam detexerit, à ſe quærere pergat, quid recenti illi invento illuſtrando & probando idonum eſ- Verum ſcrutanti tenenda.

ſet. *Quartò*, Cùm hoc interatô proceſſû ad Principium deveneris clarum & per ſe notum, ab eo rurſus, eodem ordine ad Quæſtionem uſquè propoſitam, lucem ex luce accendens, remeare debebis.

CAPUT TERTIUM.

De Methodo variante pro diverſâ rerum in quas quæritur naturâ.

1\. Q. RES cognoſcendas, quomodo diſtribuis?

Rerum prima diviſio.

R. In duos ſtatim ordines in quarum *primo* Conditorem, in *ſecundo* Conditoris opera colloco.

2\. Subdiviſio prima.

Q. Opera quomodo diſtinguis?

R. Illa ſunt vel *nos ipſi* vel *res à nobis diverſæ*.

3\. Sui cognoſcendi ratio.

Q. Quænam eſt via ad ſui cognitionem ſingulorum mentes ducens?

R. Sibi maximè attendere, à ſimpliciſſimis cogitandi modis ordine ad compoſitos gradatim procedendo.

4\. Cogitationes in ſe.

Q. Quotupliciter cogitationes ſpectari poſſunt?

R. Dupliciter in *ſe* & relatè, & in *ſe*

ſe quidem ſunt vel *Perceptiones*, vel *Voluntates*, vel *ex utroque participant*. Perceptiones ſunt *Senſationes*, vel *Ideæ*, vel ex *utroque cogitandi modo componuntur*. Perceptio binarii *Idea eſt*, perceptio coloris *ſenſatio*, viſio trianguli utrumque. In Affectibus Ideæ Senſationes & Voluntatis actus concurrunt.

Q. Quotupliciter relatè conſiderantur? 5.

R. Ad normam Veri quam præſcribit Logica, & ad normam Recti quam continet Ethica. Relatè.

Q. Res à nobis diverſas in quot ſpecies diſtinguis? 6. Rerum à nobis diverſarum claſſis triplex.

R. Sunt vel *Corporea* vel *Cogitantes* vel *utrumque*.

Q. Quæ & qualis intelligentiarum ſeparatarum cognitio comparari poteſt? 7. Intelligentia.

R. *Conjecturalis*.

Q. Quas de utroquè genere participes ſtatuis? 8. Hiſtoriæ objectum.

R. Homines quorum actiones *Hiſtoria* enarrat, cætera ſunt *Phyſicæ* conſiderationis.

Q. Corporum quotuplex conſideratio? 9. Matheſis

 R. Du-

R. Duplex, in *ſe*, & *Relatè* ad nos efficaciamquè in ſenſus noſtros. Corpora in ſe ſpectata extenſionis portiones ſunt, in quas cadunt. Quantitas duplex (*Moles* & numerus) Figura, Motus (in quo iterùm Vis ſive quantitas, & determinatio ſive figura occurrunt) quæ omnia mathematicæ ſunt computationis.

10. Q. Effectus Corporum in ſenſus noſtros quotuplices;

Phyſicæ objectum triplex.

R. Vel *Neceſſarii* qui ex natura extenſionis, figurarum proprietatibus, eſſentiâ motus, certiſſimè fluunt, & ex talium ideis demonſtrantur, vel *Contingentes* quibus producendis plures cauſæ pares atque idoneæ eſſent, vel *Arbitrarii*, in arbitrarium conditoris inſtitutum refundendi, effectus videlicet corporum in mentem noſtram, qui tamen conſtantes ſunt, & poſitis iisdem cauſis iisdemque circumſtantiis, iidem edi ſolent.

11. Neceſſarias corporum proprietates Ideæ noſtræ manifeſtant.

Q. In *Proprietates* Corporum *neceſſarias* inquirentis, quænam debet eſſe potiſſima cura;

R. *Primò* Cùm ſint neceſſariæ illæ proprietates, ab Extenſionis ideâ earum ideæ neceſſariò fluent. *Secundò*,

dò, ab illis quæ Extenſionis ideam neceſſariò conſequuntur ſeponenda ſunt quæ Præjudicium annexit. *Tertiò*, ex illis primis proprietatibus ſemel benè conſtitutis conſequentiæ ducendæ, quibus *Quarto*, an congruant an repugnent experimenta intuendum eſt; ſi repugnent ſunt ratiocinia, *Quintò*, retexenda & nova cum attentione excutienda, qaæ ſi evidentia ſui fidem indubiam fecerint; examinandæ, *Sextò*, erunt circumſtantiæ, & quæ ſingularum vis ſit, ſedulò animadvertendum.

Q. Ex pluribus *Cauſis Poſſibilibus* cui potiſſimum ſit adſcribendus effectus quomodo deteges? 12

R. Conſtituendæ. *Primo*, illius Effectus generationes omnes poſſibiles. *Secundò*, quæ primæ, quæ ſecundæ quæ tertiæ conſequentiæ ſint & requiſita diſpiciendum. *Tertio*, examinandæ utrum cum conſequentiis primæ an potiûs cum conſequentiis ſecundæ conſonet, experientia.

CAPUT QUARTUM.

De Methodo ab eo ſequenda qui cognitionem ſuam aliorum doctrinâ augere ſtudet.

1. Lectionis neceſſitas

Q. AN Meditationi, adjungenda Lectio?

R. Omninò & alios conſulendos *jam* monuimus & multa ſunt quæ ab aliis tantùm doceri poſſumus.

2. Fundamentum.

Q. Quid ad Auctorum intelligentiam primùm requiritur?

R. Linguarum cognitio.

3. Quæ linguas diſcentibus attendenda ſunt.

Q. Quibus abſolvitur Linguarum illa cognitio?

R. Duobus ſummatim, Vocabulorum ſingulorum nempè & conſtructionis intelligentiâ, in utroque diſtinguendæ Ideæ *Principales* ab *acceſſoriis*, Ideæ principales res ipſas in ſe notificant; acceſſoriæ earum qualitates, gradus, circumſtantias.

4. Ideas acceſſorias manifeſtantia adjumenta.

Q. Acceſſorias Ideas qua ratione aſſequi poteris?

R. Neceſſe eſt ut vel ab ipſo auctore declarentur; ſermoniſque contextu

textu manifeſtæ fiant, vel ex geniô & indole linguæ deducantur, aut denique ex libris aliis, auctoribus coætaneis, aut ab ejus ætate non longè remotis.

Q. Quæ debet eſſe *Legentis ſollicitudo?* 5. Tria legenti facienda.

R. Solicitus iſta tria diſtinguere debet. *Primo*, quâ de re Auctor aut quibus de rebus tractet. *Secundo*, quid affirmet negetve de illa re, ſive de rebus illis. *Tertio*, quomodo dicta probet.

Q. Res quas Auctor tractat quotuplici terminorum differentia effert? 6. Subjectum diverſis modis indicatur.

R. *Vel* vagis, *vel* determinatis, *vel* propriis, *vel* metaphoricis.

Q. Vagi ſi tantùm occurrant termini quid faciendum? 7. Vagis terminis vagæ reſpondent Ideæ.

R. Non aliæ quam vagæ notiones auctori adſcribendæ ſunt, niſi aliundè quid determinati ſenſerit notum ſit.

Q. Et ſi vocibus uſus fuerit Metaphoricis? 8. Metaphorici quando in ſimplices convertendi, quando non.

R. Metaphoricis ſunt ſimplices ſubſtituendæ, ſi Ideas auctor declarare ſuas voluerit; In Metaphoricis verò ſubſiſtendum, ſi motus ſuos at-

que

que ſenſationes hôc ſermone generis indicare tantum intenderit.

9. Q. Quibus indiciis locutionum, quæ plures unô ſenſum admittunt (ſive diverſis rebus applicari poſſint ſive diverſimodè reſtringi) & ampliari) veram acceptionem aſſequemur?

Ambiguitas quòmodo tollatur.

R. *Primo*, Loci paralleli, ſi clariores ſint, ſibi parallelorum obſcuritatem diſcutiunt. *Secundo*, Contrarii contrarios explanant, nam ſic ſunt diverſæ ſententiæ interpretandæ ut ſibi conſtet auctor earum. *Tertiò*, Status controverſiæ argumenta reſtringit vel amplificat. *Quarto*, Concluſio clarè poſita ipſa oſtendit quô ſenſu ſint Argumenta quibus probatur ſumenda, non enim neceſſe eſt, ut vis eorum proferatur ultrà quam concluſio requirit. *Quintò*, Argumenta quæ ſit amplitudo concluſionis viciſſim declarant, quia argumentum quod nimis probaret nullum eſſet. Quâ in ſententiâ ſcriptor fuerit, ex ceteris ejus ſcriptis, ex dictis, en factis, animô atque vitâ ejus, ſumi oportebit.

10. Q. Quô ordine legere debet qui fructum quàm uberrimum cupit ex lectione ſua deducere?

R. *Pri-*

R. *Primo*, A multis & diverſis abſtineat. Legentis proceſſus

Secundo, Per faciliorum intelligentiam parem ſe præbeat aſſequendis difficilioribus.

Tertio, Lectionem iteret, & *primâ* quidem vice res ipſas expendat, *ſecundâ* ad ſtyli attendat elegantiam & proprietatem, *tertiâ*, ornatus obſervet & illuſtrationes.

Quarto, Denique deducta colligat in ſummas.

CAPUT QUINTUM.

De Methodo Docendi.

Q. QUænam eſt optima docendi Methodus? 1. Optima viam inventionis imitatur.

R. Quæ inventa eô tradit ordine quô inventa fuerunt.

Q. Quæ eſt potiſſima hujuſce Methodi utilitas?

R. Quod non modò memoriam ditet, ſed ingenium acuat & fœcundet, dum docendo ita exercet, ut plura fingit. 2. Ad inventionem

ra inveniendi & notitiæ notitiam ſine ſine adjiciendi capax eveniat. (*a*)

Q. Quâ

(*a*) Horat. *de Arte Poët.* ℣. 333.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ:
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ
Quidquid præcipies, eſto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.
- - - - - - - - - - - - - - -
Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo,
- - - - - - - - - - - - - - -
Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus:
Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult manus & mens:
Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum:
- - - - - - - - - - - - - - -
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.
- - - - - - - - - - - - - - -
. . . Quandoque bonus dormitat Homerus

Verùm

Q. Quâ eſt arte interrogandus Auditor? 3. Methodus Socratica docens.

R. 1. Nulla eſt efferenda propoſitio, quæ non claris & diſtinctis vocibus & phraſibus conſtet.

2. Principium eligendum Idoneum, unde ad concluſionem devenire poſſis.

3. Ab Auditore petendum quid cenſeat de illo principio evidentiæ axiomaticæ.

4. Quærendum ab ipſo eſt, an ex illo Principio conſequentiam talem & talem inferre liceat, & cur inde fluat?

5. Id ſi non apertè viderit, eſt Principium aliquod ponendum, ipſi magis familiare unde aliqua Conſe-

quen-

Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſumnum.
Ut Pictura, Poëſis erit, quæ, ſi proprius ſtes,
Te capiet magis, & quædam, ſi longius abſtes:
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Judiciis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.

quentia, propter ipſam materiam jam perceptam, facilis perceptû educenda, quærendumquè num diverſa ſit ab iſtâ ſecundâ, prima illa circa quem hæſerat dubius.

6. Definitiones item in memoriam revocandæ, aut ſi nondum fuerint poſitæ, quærendo, eliciendæ, atque poſteà in locum Definiti ſubſtituendæ.

7. Caſus ſunt oppoſiti proponendi inter quos eligat.

8. Ex primâ conſequentiâ vi talis Methodi conceſſa, ſecunda pari ratione elicienda eſt, & ſic deinceps, donec ad ultimam quam intendis deveneris.

4. Dedocens Q. At quis erit *Interrogationum proceſſus*, ſi non tam docere intendas quam dedocere & ab errore deducere?

R. Ipſa Propoſitio errans ponitur ad tempus tanquam principium, unde per gradus neceſſariæ conſequentiæ, alia ex altera ad inſtar catenæ ducantur, donec ad aliquam deveneris, cujus contradictio manifeſtè pateât.

Q. An

Q. An omnes ſunt Idonei qui hâc viâ inſtituantur?

R. Minimè; ſunt quippè plurimorum mentes, adeo leves, adeò inexercitatæ, ut in eundem finem, non diſtractâ attentione, per ſeriem quamvis evidentium conſequentiarum, ſi longior ſit, tendere non valeant; pleriſque etiam quibus, per negotia, litteris colendis animum non vacat adjicere, ſatis eſt, ſi, pro occaſione, atque rerum ſuarum neceſſitate, has & illas veritates intelligant, qua arte inventæ fuerint, haud quaquam ſolicitis; In iſtorum igitur gratiam inventa eſt, atque frequentata diverſa Methodus, quæ *Primò*, rem jam inventam & cognitam brevi verborum ambitû declarat. *Secundò*, prolixiùs diducit, probat, & quandoquè contra objectiones defendit. (*a*) (*b*)

5. Primæ impures.

6. Docentur per ſyntheticam.

Q. At-

(*a*) Horat. *Serm.* *L.* 1. *S.* 1. ℣. 23.

Præterea, ne ſic, ut, qui jucularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores elementa velint ut diſcere prima
Sed tamen amoto, quæramus ſeria ludo.

Q. Atqui duplex illa Methodus duplici nomenclationi, *Syntheticæ* videlicet, & *Analyticæ* nomen dediſſe videtur?

7. Analyticæ & Syntheticæ definitiones.

R. Omninò; Et quidem iſtarum vocum ut propè omnium ſcholaſticarum, diverſâ acceptio eſt; ſed commodè definiri poſſe videntur. *Analytica* quidem per eam quæ ad demonſtrationem nihil aliud ſupponit, præter ipſorum quæſtionis terminorum intelli-

(*b*) Horat. *Epiſtol. L. I. Ep.* 3.

Quid mihi Celſus agit? monitus, multumque monendus
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.
Ne, ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum.
Furtivis nudata coloribus. Ipſe quid audes?
Quæ circumvolitas agilis Thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum eſt, nec turpiter hirtum
- - - - - - - - - - - - - - -
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes;
Quò te cæleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus & ampli
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari.

telligentiam; *Synthetica* per illam quæ principiis à Quæſtionis ſententia diverſis, huic tamen affinibus innititur.

CAPUT SEXTUM.

De Definitione.

Q. QUid eſt *Definitio?* 1. Definitionis definitio.
R. Eſt Oratio quæ rem vagô priùs conceptû perceptam, ita finibus ſuis circumſcribit, limitat, determinat, ut ab omnibus à quibus differt diſcriminetur.

Q. Quæ ſunt ejus *Requiſita?* 2. Requiſita.

R. Perſpicuitas, Brevitas, & Plenitudo.

Q. Quomodò parabitur *Perſpicuitas*. 3. Perſpicuitas unde.

R. Si declarentur Ideæ verbis, aut omni ambiguitate & obſcuritate, per ſe expertibus, aut præcedenti aliqua definitione jam illuſtratis.

Q. Cur *Brevitas* requiritur? 4. Brevitatis ratio.

R. Quia non facilè quid de re exponenda cenſeat Orator, atque probandum ſuſcipiat, memoriâ teneret Audi-

Auditor, niſi brevi ambitû verborum mentem ſuam, qui dicit aperuiſſet; Neque eadem memoria, rem pluribus expoſitam facilè retinet, niſi paucis rurſus comprehendatur.

5. Cauſæ. Q. *Brevitas* quomodo comparabitur?

R. Si ea tantùm contineat, quibus res definita carere nequit, illæſâ manente naturâ ſuâ, ſtyloque enuntietur paucis multa dicente.

6. Obſtacula. Removenda idcirco, 1. Definitum, & 2. Definiti merè Synonima, 3. Redundans ejuſdem attributi verbis diverſis repetitio. 4. Negativis vocabulis, poſitiva ſi haberi poſſint, præponenda ſunt.

7. Plenitudo inquo poſita. Q. Quænam Definitio intra Brevitatem *Plena*, dicetur?

R. Ea, unde cætera de Definitô dicenda omnia derivabuntur.

8. Deſcriptio Imperfecta umbratilis eſt deſcriptio. Q. Quale diſcrimen ſtatuis inter *Deſcriptionem* & *Definitionem*?

R. Per *Deſcriptionem* nonnunquam intelligunt rei, cujus eſſentia non cognoſcitur, per cauſas, effectus, adjuncta, indicationem; Nonnunquàm verò per *Deſcriptionem* intelligitur rei per *partes integrales* declaratio, ei ſervatô nomi-

nomine Definitionis, quæ rem per Attributa, ſive *partes eſſentiales* dictas manifeſtat: DESCRIPTIO igitur *rem per partes integrales definit*, DEFINITIO *per eſſentiales deſcribit.* Deſcriptio perfecta.

CAPUT SEPTIMUM.

De Diviſione.

Q. QUid intelligis per *Diviſionem?* 1. Diviſionis definitio.

R. Partium *Sigillatim* tractandarum *Indicationem.*

Q. Quæ eſt ejus utilitas? 2. Adhibenda ad elucidationem definitionis.

R. Multiplex; nam 1. Ad Definitionis pleniorem intelligentiam, partes ejus ſingulæ ſunt excutiendæ, & de ordine tractandorum eſt auditor lectorve per diviſionem præmonendus.

Q. Ne multitudine objectorum, quæ ſunt numerò plurima, nec multiplicibus ſingulorum objectorum attributis, Mens finita turbetur, ſunt certò quòdam ordine recenſenda, quæ diſpoſitio *Diviſio* vocatur.

3. Cum in objectis diverſis occurrant

rant attributa ſimilia, ne eadem in ſingulorum explicatione, tædioſè iterentur, notiones attributorum communium evolvuntur, attributaquè cognoſcenda ſic in claſſes diſtribuuntur, ut à maximè communibus initiô factô, per minùs communia gradatim ad maximè determinata perveniatur.

3. Requiſita eadem quæ definitionis.

Q. Diviſionis legitimæ quæ ſunt *Regulæ*?

R. Clara ſit oportet Brevis atque Plena.

Q. Qua ratione *Claram* aſſequeris?

R. Clara erit terminis conſtans, aut per ſe, aut per definitiones quæ præceſſerint, omni liberatis obſcuritate & ambiguitate; adeoquè ad compoſita non accedas antequam ſimpliciora excuſſeris.

4. Perſpicuitatis Cauſæ.

5. Brevitatis cauſæ & oppoſita.

Q. Quænam Brevis meritò dicitur?

R. Quæ pluribus verbis non exprimit quod paucioribus poteſt, nec partes recenſet, quarum aliqua in alterâ contineatur; luxuriat denique & luxurians turbat, & confuſionem inducit, omnis diviſio ſeparatos iis, quæ junctim, tradenda forent, locos aſſignans.

Q. Qua

Q. Quâ ratione Diviſio *Plena* obtinebitur? 6. Plenitudinis aſſequendæ ratio.

R. Procedendo per Diviſiones contradictorias.

Q. Quæ ſunt hic præcavenda?

R. Ne membrum negativô terminô deſignatum, idcircò quaſi merè negativum & mera abſentia poſitivi eſſet, concipiatur, quod ne accidat, membrum illud negativè primò prolatum, poſitivo deinde termino efferendum eſt, ſiquidem poſitivum ſit. 7. Cautiones.

2. Non eſt *Dicotomiæ* ſuperſtitioſè adhæreſcendum.

Q. Quid intelligis per ſuperſtitioſam illam Præceptorum obſervationem?

R. *Superſtitioſus* eſt ille qui ſerviliter præceptorum litteram ſequitur, iis etiam in caſibus quos *Præceptorum ratio* excipiendos poſcit, Præceptorum autem ſummus finis eſt perſpicuitatem rebus inducere atque imperfectioni mentis ſuccurrere. 8. Superſtitioſa philoſophica quid.

Q. Quid cenſes de Syſthematibus quæ præter diviſiones, & diviſiones nihil quicquam continent? 9. Diviſionum & definitionum compages.

R. Hanc Methodum mancam omninò & tædioſam eſſe, nam & potiſſimas

Umbram ſcientiæ pro ſcientia objicit.

mas mentis facultates inexercitatas relinquit, & res, quarum certò cognoſcendarum cauſâ, diviſiones inſtitutæ ſunt, nec ſatis elucidat, nec accuratè confirmat.

10. Præcognita quæ uſurpanda.

Q. Poſt, definitione indicatum tractationis futuræ ſubjectum, diviſionibuſquè tractandorum ordinem declaratum, nonne convenit, præmittere *Præcognita* rebus docendis, lucem fœneratura.

R. Omninò; modò ſint verè præcognita, non nomine tenùs talia, quæ præter inanem eruditionis: & neſcio cujus larvatæ *ἀκριβείας* oſtentationem, nil quicquam continent.

CAPUT OCTAVUM.

De Methodi SYNTHETICÆ variis ſpeciebus.

1. Synthetica methodus in ſpecies diſtribuitur.

Q. AN methodus *Synthetica* eâdem ſemper ratione procedit, an varia eſt atque multi-formis?

R. Varia, nam *Syntheticam* methodum uſurpans, *vel* ſolus loquitur; *vel*

vel habet collocutores, eoſquè veros ſi ore docet, fictos ſi ſcriptô.

Q. Quotuplex eſt *Docentis* oratio? 2. Subdivi- ditur.

R. Vel *Continua*, vel per articulos *Diſtincta*.

Q. Quam pluris faciendam cenſes? 3. Oratio continua attentioni moleſta.

R. Poſteriorem; utpotè quæ attentionem minùs fatigat, nam continuam orationem legens, *vel* ipſe membra ſejungere debet, quod laboris eſt, *vel* Mentis aciem, ſimul & in præſentia intendere, & in præcedentia retorquere, quod valdè diſtrahit. (*a*)

(*a*) HOR. *de Art. Poet.* ℣. 136.

Nec ſic incipies, ut ſcriptor Cyclicus olim:
FORTUNAM PRIAMI CANTABO, ET NOBILE BELLUM
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes; naſcetur ridiculus mus,
Quantò rectiùs hic, qui nil molitur inepte!
DIC MIHI, MUSA, VIRUM CAPTÆ POST TEMPORA TROJÆ,
QUI MORES HOMINUM MULTORUM VIDIT ET URBES.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
